

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

PRAELECTIONES
JURIS CANONICI

AD METHODUM

DECRETALIIUM GREGORII IX EXACTAE

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADEBAT

PHILIPPUS DE ANGELIS

CANONICUS BASILICAE LIBERIANAE

Tomus Tertius — Pars Prima

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA DELLA PACE
Piazza della Pace 35
1880

PARISIIS
APUD P. LETHIELLEUX
Rue Cassette Num.º 4
1880

LIBER IV.

DECRETALIUM GREGORII IX.


L'Autore si riserva il diritto di proprietà per la riproduzione e traduzione di questa sua opera sotto qualsiasi forma, avendo previamente adempito a tutte le formalità prescritte dalla legge.

Exponentes hunc Librum monemus nos in quaestionibus tradendis secuturos esse ordinem Titulorum a B. Raymundo servatum, proinde data opportunitate singula proposituros, quamvis fortasse rationabilior methodus expostulasset, ut aliqua prius edoceri, alia postmodum exhiberi debuissent. Ex quo tamen haec adveniet pro addiscentibus utilitas, ut in quavis resolvenda quaestione, et praesto habeant juristextus et Doctorum placita, quod in aliis Libris declarandis jugiter explevimus.

TITULUS I.

De Sponsalibus et Matrimoniis.

1.º Bipartitus est hic Titulus, ita ut primo de sponsalibus agendum sit, dein de matrimoniis. Sponsalia in jure assumuntur aliquando pro matrimonio de praesenti contracto nondum consummato, ut in *cap. 2 et cap. fin. de sponsa duorum et cap. 13 de praesumpt.* At stricto sensu accipiuntur pro contractu respiciente futuras nuptias,



ut in praesenti titulo. Et sic sumpta sponsalia definiuntur « promissio vera, libera, mutua et signo » sensibili expressa futuri matrimonii inter per-
» sonas de jure habiles. »

2.º Ad habendum proinde eorum completum conceptum sequentia sunt attendenda: - (a) dici *promissionem*; non sufficit quidem propositum, ex quo non oritur obligatio; et ipsum verbum sponsalium indicat hanc promissionem; - (b) hanc vero promissionem debere esse *veram*; si deficit enim animus et intentio se obligandi, vinculum obligationis non exurgit; atque hinc *facta et simulata promissio* obligationem non inducit, prout clare colligitur ex *cap. un. h. t. in VI et cap. 26 in fin. h. t.* Verum hic probe notandum est, quando signa externa expressionis voluntatis sunt concludentia, praesumi semper in foro judiciali ecclesiastico promissionem esse veram, et secundum hoc esse judicandum, usque dum fictio *concludenter* probetur, sicut docet Innocentius III *cit. cap. 26 h. t.*; - (c) *liberam* quoque oportere esse promissionem; nam ubi non est libertas, ibi sponsalia non sunt ex *cap. 24 h. t.*; hinc ubi est coactio, aut error vel usus rationis non expeditus, pariter sponsalia non habentur; et haec libertas debet esse *formalis et directa*. Disputant inter se Doctores, an sponsalia metu gravi extrinseco injusto et directo inita sint nec ne valida; atque pro affirmativa sententia dedimus responsum in *lib. 1 tit. XL*. Si autem haec sententia praeferatur, consequens

est ex talibus sponsalibus etsi metu initis oriri impedimentum publicae honestatis, quod iis quoque resolutis per querelam partis passae metum manet, prout natura est hujus impedimenti; - (d) *mutuam* deinde hanc promissionem esse debere suadet natura istius contractus, cum sponsalia sint *ultra citroque obligatoria*; proinde non sufficit promissionis acceptatio, sed requiritur *repromissio*. Equidem promissio acceptata de futuris nuptiis obligat promittentem, et graviter aut leviter in conscientia, prout haec promissio sit *adminiculata*. At iudex ecclesiasticus super hac re adiri nequit, neque sententiam profert, quam tantummodo edit in causa *mutuae promissionis*. Hinc est, quod Doctores hanc simplicem promissionem etsi acceptatam retineant sub levi obligare, vel esse de se retractabilem, utpote incompletam; et multo magis ex ea praedictum impedimentum publicae honestatis oriri denegent. - (e) Demum *signo sensibili expressam* promissionem exigi. Contractus enim inter homines sine manifestatione voluntatis esse nequeunt, neque proinde obligatio oriri. Jus autem non determinat nec verba nec signa, at ea requiruntur, quae consensum internum contractantium sufficienter exprimunt, vel ex propria significatione aut natura, vel ex consuetudine loci, prout edicitur in *cap. 7 h. t.* Quod si dubium sit de prolatione verborum, aut signorum positione, tunc iudex absolvet negantem, cum facta non praesumantur sed probentur; quemadmodum

si dubitetur de vi verborum aut signorum an concludant necne. In hac ultima tamen hypothesisi si accesserit copula libera, tunc praesumuntur vim obligationis praesetulisse, et ad eam suscipiendam fuisse prolata vel posita ex *argum. cap. 5 de condit. appos.* Sola autem copula non est argumentum indubium sponsalium contractorum, quemadmodum nec alia indeterminata signa; licet retinendum pro certo sit, quod sponsalia ex signis indubiis firmari et exprimi valeant ex *cap. 23 h. t.* Caeterum personae inter quas sponsalia eduntur, debent esse de jure habiles, nempe tales, inter quas matrimonium aliquando valide et licite iniri valeat, cum promissio rei illicitae vel impossibilis non teneat ex *reg. 58 jur. in VI*; sicut quod illae personae debeant esse determinatae; etenim non nisi cum determinata persona valet matrimonii tractatus. Legimitas haec personarum strictius debet intelligi in sponsalibus, quam in matrimoniis; dum enim, prout in subsequentibus videbimus, matrimonio obstare possunt impedimenta vel mere impedientia, quae illud reddunt illicitum solummodo vel dirimentia, quae reddunt invalidum; quaecumque obstant sponsalibus, illa reddunt semper invalida propter enunciata rationem.

3.º Sponsalia sunt vel *ecclesiastica* coram parochi et testibus vel *civilia* nempe absque parochi praesentia, et ista pariter vel *publica* vel *clandestina*, prout in foro externo probari possunt sive per testes, instrumenta, vel potius quovis desti-

tuuntur adminiculo probationis. Profecto retinendum est ex jure communi quaevis sponsalia habita esse valida, etsi in foro externo sponsalia clandestina propter defectum probationis non attendantur. Neque Concilium Tridentinum aliquid haec super re immutavit, sed omnia sub veteris legislationis dispositione manserunt, prout ex Responso dato a S. Congregatione Concilii *sub die 19 Decembris 1596* demonstrat Benedictus XIV. *Instit. eccles. 46 num. 12.* Equidem non defuerunt veteres et recentiores petitiones nonnullorum Episcoporum, quibus rogabant, ut nulla et invalida fierent ea sponsalia, quae non fuissent in determinata forma inita, sicut petitio continebat data *sub die 24 Novembris 1865* ad Cardinalem Poenitentiarium Majorem, cui Epistolae, sicut et caeteris antiquis petitionibus ex Audientia SS.^{mi} responsio data est « *nihil esse innovandum.* » Neque defuerunt Synodales aliquae constitutiones, quae nulla esse sponsalia declararent, nisi contracta fuissent coram Parocho et testibus, vel quae in scripturam non fuissent redacta. Quae tamen constitutiones nullam vim habent, cum sicut docet Benedictus XIV *de Syn. Dioec. lib. 12 cap. 5.* Episcopi non habeant potestatem neque imponendi matrimonio nova impedimenta, neque vetera abrogandi. Taceo ab afferendis nonnullis sanctionibus synodalibus similis tenoris, quae hodie emendari incipiunt. Ex jure proinde hodie valent sponsalia et effectus producant quacumque sub forma inita.

Ab hac antiqua et servata praxi aliquantulum deflectere visa est S. Congregatio Concilii, cum in *Placentina diei 31 Januarii 1880* ad dubium: - An sponsalia, quae in Hispania contrahuntur absque publica scriptura sint valida? - Respondit: - Negative. - Licite quoque sponsalia sub quacumque forma ineuntur, etsi *deceat sine teste non fieri*, ut probari possint, si forte altera pars negaret contracta sponsalia, prout allegata Doctorum auctoritate in *cit. Instit. Eccles. 46* probat Benedictus XIV. Hoc autem viget inspecto jure ecclesiastico cum Civiles Codices moderni nullum neque ex sponsalibus in forma ab ipsis constituta initis aliud vinculum juridicum oriri admittant, nisi tantum ad indemnitatem, si quae alteri parti propter eorum non adimplementum damna secuta sint.

4.° De sponsalibus initis sub conditione agemus in *tit. V* et de aetate necessaria ad ea contrahenda agemus *tit. II*; nunc vero ante quam de eorum vi agamus, nonnulla praemitemus de arrhis et poenis. Praeter nonnullas donationes, quae solent inter sponsos intervenire, quaeque vocantur *jocalia, dotalia, dona sponsalitia* etc., aliquando in contractu sponsalicio interveniunt *arrhae*, quae definiuntur « *res quaedam, a sponsis vel eorum parentibus in vel post contracta sponsalia sibi invicem quasi pignora in securitatem matrimonii datae.* » Arrharum positio est a jure civili et canonico admissa, velut constat ex *can. si quis uxorem caus. 27 quaest. 2* et *can. 3 et 7*

caus. 30 quaest. 5. Arrhas porro istas datas perdit, et acceptas restituet, qui absque causa recedit a fide sponsalium adimplenda; è contra illa pars, cui per recessum a fide fit injuria, acceptas lucratur, et datas recuperat. Controvertitur autem a Doctoribus ex interpretatione *cap. 29 h. t.* an jus canonicum admittat *conditiones poenales* in sponsalibus, sicut admittuntur a jure civili. Et quamvis pro negativa et affirmativa sententia non desint nec rationum momenta, nec Doctorum auctoritas; mihi tamen cum Gonzalez in *Comment. ad cap. 29 h. t.* rationabilior videtur media sententia duas hypotheses assignans, quae sic exponitur. Conditiones enim istae poenales in sponsalibus valent apponi vel - 1° a sponsis, eorum parentibus, tutoribus, cognatis, magnis amicis, vel etiam ab extraneis cum illorum tamen mandato, vel - 2° apponuntur ab extraneis simpliciter absque dicto mandato. - Porro si haec altera hypothesis interveniat; tunc mihi certum videtur nullam esse rationem, quae has poenales conditiones interdicat; jure enim civili cum permittantur, nullo juris canonici textu vetantur; neque valent impugnari ex expositione aut interpretatione *cap. 29 h. t.* cum nemo prohibeatur committere poenam in factum alienum, quando haec poenae commissio non gravat agentes. At in prima hypothesis haec poenae appositio posset laedere libertatem matrimonii, namque ne quis poenam incurreret, coacte matrimonium iniret; et maxime interest quod matri-

monia libera sint; proinde jus canonicum has commissiones poenales interdixit. Neque dicatur matrimonium post sponsalia fieri ex justitia debere; namque etsi hoc verum sit, Ecclesia nihilominus non censuit partes esse poenis et censuris adigendas ad fidem implendam, sed potius monendas, ut ex inferius dicendis patebit; et sic hanc poenarum adjectionem tamquam gravantem abolevit. Neque dicatur secundo idem esse iudicium de arrhis. Namque hoc non est verum, cum arrhae sint modicae donationes; è contra commissiones poenales soleant esse immodicae et gravantes, ut partes contrahentes tutae sint de adimplemento promissionis.

5.º Inita sponsalia obligant ad matrimonium contrahendum tempore determinato, si quod determinatum sit; si autem nullum tempus praefixum fuerit, quam primum una pars rationabiliter exigit. Quae obligatio est *ex justitia*, cum sit verus contractus, et est *sub gravi*, quia in re gravi versatur obligatio; si vero iuramentum accesserit, accedit quoque obligatio ex vi religionis, ut edocemur *cap. 16 h. t.* Ex sponsalibus proinde, praeter impedimentum dirimens publicae honestatis, de quo *tit. IV* agemus, inducitur quoque impedimentum impediens, prohibens nimirum cum qualibet alia persona nuptias praeter quam cum sponsa, cum non liceat viris plures simul habere uxores, nec mulieribus viros. - Atque ad hanc exigendam obligationem potest adiri quoque iudex ecclesiasticus,

qui justitiam non denegabit; prout habetur in pluribus textibus hujus tituli, et ex praxi tribunalium ecclesiasticorum. At hic difficultas maxima habetur in determinando modo, quem in talibus iudiciis iudex ecclesiasticus servare debeat, cum in *cap. 10 h. t.* edicat Pontifex esse adimplementum sponsalium ex petitione partis urgendum poenis quoque et censuris interminatis; dum è contra in *cap. 17 h. t.*, ex consideratione quod coacta conjugia soleant difficiles exitus habere, injungatur a Pontifice partem reluctantem monendam potius esse quam cogendam. Plures excogitati sunt ab interpretibus modi hujus antinomiae tollendae, prout videre est apud Auctores. Rationabilior videtur esse sequens, nempe ad evitandos difficiles exitus, quos fere semper solent habere coacta conubia, partes non esse a iudice cogendas sed potius monendas, sicut praescribitur in *cap. 17 h. t.* At si in casu particulari difficilis exitus non timeatur, tunc datur locus etiam coactioni, ut indicitur in *cap. 10 h. t.* Et haec est consueta methodus, qua istae causae tractantur etiam apud S. Congregationem Concilii. Solent enim proponi duo dubia, nempe: - « 1º An constet de sponsalibus in casu? - Et quatenus affirmative. - 2º An » sit locus coactioni in casu? » - Atque data responsione affirmativa ad primum dubium, fere semper subjicitur responsio negativa ad alterum. Qui exitus iudicii demonstrat iudicem ecclesiasticum recognoscere in casu obligationem sub

gravi adimplendi datam fidem, sed abstinere a poenis et censuris, ne deterius aliquid contingat; et prudentia aliquando suadet abstinere a sanctione infligenda ad mala majora vitanda. Secus vero dicendum est, quando iudicium provocetur non modo propter non adimpletam sponsalium fidem, sed etiam propter deflorationem aliumve detrimentum sub fide sponsalium mulieri illatum; tunc enim non tantum monitioni locus est, sed et coactioni; cum tales injuriae non valeant nisi secuto matrimonio compensari. Haec est constans praxis tribunalium ecclesiasticorum; quamquam hodie civilis legislatio etiam super hoc non admittat nisi indemnitatem in pecunia, quando sponsalia facta sunt in certa forma, de factis expensis.

6.º Contracta autem sponsalia pluribus modis dissolvi possunt, et - (a) *per mutuum dissensum* ex *cap. 2 h. t.* sicut enim consensu firmanur, ita dissensu cessant. Idque valet, etiamsi sponsalia sint jurata; nam juramentum sequitur naturam contractus, qui in casu est per dissensum resolvable; unde valide et licite hoc modo resolvuntur sponsalia. Una fit exceptio quoad sponsalia impuberum, quae durante impubertate nequeunt solvi per mutuum dissensum ex *cap. 8 de desponsat. impuber.* ne propter animi levitatem impuberes pluribus se implicent sponsalium nexibus, atque imprudenter ab ipsis resiliant, ut fusius notabitur in eo titulo cum aliis nonnullis differentiis, quae a jure inductae sunt inter sponsalia impuberum,

et puberum. - (b) *Per susceptionem ordinis praesertim sacri, et per professionem religiosam quoque non solemnem, imo per ingressum in religionem contracta dissolvuntur sponsalia.* Circa quod notandum est, licere alterutri parti post sponsalia contracta cogitare vel de ordinibus suscipiendis vel de religiosa vita capessenda, quia juxta Glosam *cap. 16 h. t.* talibus promissionibus semper est implicita conditio: « nisi de meliori statu amplectendo deliberavero. » Unus tantum casus est relatus in *cap. 16 h. t.*, in quo propter adjectum juramentum dicitur: « tutius esse prius religione juramenti servata contrahere, et postea, si quis elegerit, ad distinctionem religionis migrare, si carnalis copula dignoscatur non intervenisse. » Quo casu excepto ob reverentiam juramenti et in hypothesis conversionis ad religionem approbatam (cum ex professione solemni solvatur antecedens matrimonium ratum) de reliquo licet etiam altera parte irrequisita ad ordines atque ad religionem pergere, et per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem quoque non solemnem sponsalia dissolvuntur, cum talis promissio sponsalitia nequeat absque scelere adimpleri. Per ingressum vero in religionem vel per susceptionem minorum ordinum, altera pars potest se reputare a vinculo sponsalium liberam, cum hic actu demonstraverit se velle ordines sacros suscipere vel religionem profiteri, et non teneatur altera pars expectare tempus professionis vel susceptionis ordinis sacri. - (c) *Per*

subsequens matrimonium etsi simpliciter ratum ex cap. 31 h. t., dissolvuntur sponsalia antecedentia, prout melius exponetur *tit. IV*; quoniam sponsalium adimplementum redditur impossibile stante hoc conjugio. An vero eo matrimonio dissoluto reviviscat prima sponsalium obligatio, controversatur inter Doctores: probabilior tamen videtur sententia affirmativa, cum cessante obstaculo naturale sit quod vis antiquae promissionis iterum vigeat. - (d) resolvuntur pariter *per discessum sponsi vel domicilium mutare volentis vel brevi non redituri ex cap. 5 h. t.*, hoc enim casu nimium gravaretur sponsa quae vel domicilium mutare, vel nimium expectare teneretur. - (e) *Per fornicationem subsequentem*, quae dat facultatem parti innocenti resiliendi a fide sponsalium juxta notum principium: « frangenti fidem, fides frangatur eidem. » Atque ex hac tam viro quam mulieri datur jus recedendi. Quod canonistae communiter extendunt ad fornicationem spiritualem, puta haeresim, apostasiam et schisma. Longe aliter meo iudicio retinendum est de fornicatione antecedente, quae magis imputatur et nocet mulieri, quam viro, ut nunc ostenditur. - (f) Pariter *per notabilem mutationem animi, corporis aut fortunae supervenientem sive antecedentem sed non cognitam ex cap. 25 de jurejurando*. Traditur siquidem in eo capite duas condiciones in quavis promissione semper esse implicitas, nempe: - 1° valere promissionem *si res sunt, sicut apparent*; - 2° promissionem vigere,

si res perseverant, sicut sunt. - Ergo ad recedendum a sponsalibus eadem ratione dat causam gravis mutatio seu defectus superveniens, ac gravis defectus antecedens non cognitus. At graves defectus non eodem modo mensurantur in mulieribus, quam in viris: sic puta fornicatio antecedens non cognita vix in viro attenditur, nisi fuerit per modum habitus, vel eum corruptis esse moribus demonstret; cum è contra mulieri gravissime noceat etiam una vice admissa. Imo etsi mulier fuerit per vim ab alio corrupta sive post inita sponsalia, sive antea; cum primo hoc a sponso rescitur, potest a sponsalium fide impune recedere; nimium enim probro viro est ducere ab alio corruptam. Jure autem diximus attendendam esse quamcumque gravem mutationem sive corporis sive animi, sive fortunarum; nam quomodocumque inducta nocet, prout multis modis exemplificant Doctores. Spectat autem ad Theologiae moralis tractatores resolvere quaestionem: « an pars laborans occulto defectu teneatur illud aperire ante sponsalia, vel iis contractis ante matrimonium. » Videatur S. Alphonsus *De Matrim. num. 864*. Omnes Doctores conveniunt hanc notabilem mutationem *in deterius* consequentem sponsalia vel primo cognitam dare jus alteri parti resiliendi a sponsalibus; sed non desunt Auctores, qui putant esse causam justam recedendi a sponsalibus insperatam et longe gravem mutationem *in melius*, ita ut qui illam ex-

pertus sit, habeat hanc facultatem, quam opinionem satis docte defendit P. Ballerini in *Compendio Theolog. Moral. Gury. De Matrim. num. 731 not. (a)*. - (g) *Per impedimentum dirimens superveniens*, resolvuntur quoque sponsalia, prout exponetur in *tit. XIII*. - (h) Demum sponsalia dirimi possunt *per dispensationem*. Etsi Ecclesia ex dictis intendat fidem esse servandam sponsalium, et iudices ecclesiastici nequeant in iisdem dispensare alterutra parte invita, jus enim huic quaesitum est; nemo tamen negare poterit id juris competere Romano Pontifici, qui ceteroquin huic juri tertio quaesito non praedjudicat, nisi expresse dicat, et nisi habeantur causae satis graves et praesertim respicientes publicum bonum. Haec dispensatio conceditur a S. Congregatione Concilii ex Audientia Papae; et ipsa raritas hujusmodi dispensationum arguere facit difficultatem gratiae. Nostri autem temporibus non omnino infrequentia sunt haec Rescripta ob infaustam promulgationem legis sic dictae matrimonii civilis. Aliquando enim evenit, ut quis spreto fide sponsalium matrimonium civile cum altera contrahat, et ex ea filios suscipiat, deinde vero petat cum hac matrimonium in facie Ecclesiae celebrare. Obstante Parocho assistere huic matrimonio propter impedimentum sponsalium, et sponsa nolente juri suo renunciare, Summus Pontifex rogatur, ut stante impossibilitate morali contrahendi nuptias cum sponsa, quas lex civilis etsi per injuriam legitimas non haberet

ad consulendum tamen bono filiorum et praesertim conscientiae Oratorum, Summus Pontifex hanc dispensationem concedit per medium supradictae S. Congregationis.

7.º Quae diximus circa facultatem risiliendi a sponsalibus ita sunt accipienda, ut huic juri valeat quis renunciare, atque in iisdem sponsalibus manere, quam manendi voluntatem manifestare idem valet vel verbis vel factis, ut constat ex *cap. 6 de privileg.* Expedita autem est sponsis libertas resiliendi a sponsalibus, *si causa recessus certa sit*, neque attendenda est praeventiva sententia iudicis, quia numquam hoc in jure cautum habetur. At si dubium sit an causa subsistat, iudicis ecclesiastici sententia est necessaria, cujus est impedire ne quis peccatum admittat. - Haec, quae de sponsalibus relata sunt, olim erant in quotidiana applicatione; cum nullum fere matrimonium celebraretur, quin huic praecessissent sponsalia, sive haec in ecclesiastica forma fierent, sive in privata et civili; et promissioni sponsalitiae semper erat juramentum adjectum. A modernis vero moribus hoc recessit, praesertim cum Civiles Codices praedictae promissioni nullam vim recognoverint ad petendum adimplementum, ut dictum est; proinde quaestiones de sponsalibus et in tribunalibus ecclesiasticis et apud S. Congregationem Concilii rarissimae sunt. Ob eandem rationem fere absoleverunt illae oppositiones, quae sub formula » *Nihil transeat* » fiebant in Curiis Episcopalibus,

ne daretur licentia contrahendi matrimonium in detrimentum promissionis sponsalitiaë.

8.º Ad aliam partem tituli accedentes loquimur de Matrimoniis. Matrimonium spectari potest ut contractus et ut sacramentum. Si spectetur ut contractus definitur: « maris et foeminae legitimarum personarum conjunctio individuum vitae consuetudinem retinens. » Ubi vero consideretur ut sacramentum definitur: « contractus baptizatorum legitimus et indissolubilis inter virum et foeminam, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus de se aptos ad prolis generationem elevatus a Christo ad dignitatem sacramenti et conferens gratiam ex opere operato. » Quarum definitionum verba in tractatione exponentur. Matrimonii porro duae sunt divisiones; primo enim dividitur in *legitimum*, *ratum* et *consummatum*. *Legitimum* est quod a non-baptizatis contrahitur servatis legibus naturalibus, divinis, et *forte* civilibus. Addidimus illud verbum *forte*, quia non desunt Doctores, qui teneant potestatem civilem nihil addere posse ordinationibus juris naturalis et positivi divini neque in matrimonio a non-baptizatis contracto; etsi numerosiores Doctores aliter sentiunt, prout nostra sententia est, quod aliqua in hoc infidelium matrimonio addere et ordinare valeant civiles potestates, salvo tamen jure naturali et positivo divino primigenio. *Ratum* quod a baptizatis contrahitur nondum carnali copula completum ex *cap. 7 de divort.*

Consummatum demum quod carnali copula accedente est completum. Iterum matrimonium est *verum*, *putativum*, et *praesumptum*. *Verum* appellatur, cujus condiciones omnes objective subsistunt. *Putativum* nominatur, quod penes communitatem et contrahentes, aut saltem alterutrum istorum errore probabili habetur ut validum, sed ex latente impedimento dirimente est invalidum; de quo agetur in *tit. XVII* hujus libri. Demum *praesumptum* matrimonium dicitur, cum inter sponso de futuro copula libera intercedit ex *cap. 30 h. t.*, de quo ibi dicitur, quod *etsi praesumptum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen hujusmodi non est probatio*; atque hinc talis praesumptio est *juris et de jure*. Circa hoc matrimonium *praesumptum* sequentia sunt notanda. - (α) Ut ex *cit. cap. 30 h. t.* dicatur matrimonium *praesumptum* sponsalia debuerunt esse *valida*, et copula carnalis *perfecta*; *primum* quidem ex hoc, quod Canon retineat consensum de futuro in sponsis versum esse in consensum de praesenti, et quod videatur copula illa haberi virtute praecedentis obligationis sponsalium, quae non verificarentur si sponsalia inter eos non fuissent valida; alterum vero ex hoc, quod manifeste traditur ex *cap. 32 h. t.*, ubi asseritur, quod conatus ad copulam, qui non habuit effectum, non facit matrimonium inter sponso *praesumptum*. - (β) Hinc non est verum, quod asseritur a nonnullis Auctoribus, in locis, ubi nondum Concilium Tridentinum

quoad *cap. 1 sess. 24 de reform. matrim.* est promulgatum, prima sponsalia adhuc integra dissolvi per altera sponsalia, si copula carnalis in istis intercesserit; nam tunc ex subsequente copula in foro externo matrimonium censetur ipso facto contractum ac animo perfectum, si sponsalia fuerint valida, quod in casu non verificatur. - (γ) Haec autem praesumptio etsi sit *juris et de jure*, et non admittat probationes in contrarium, applicari nequit foro conscientiae; adeoque homini in confessione asserenti, se post sponsalia de futuro valida copulam cum sponsa habuisse animo fornicario, non esset deneganda facultas ad alia vota transeundi; unde aliquando oriri potest oppositio inter decisionem fori externi, et fori conscientiae relate ad haec conjugia in locis, ubi ex non facta publicatione d. Capituli Concilii Tridentini adhuc habet locum matrimonium praesumptum. Imo nec in foro externo valet juxta nonnullos auctores haec praesumptio, si contrarium *evidenter* constet, cum non censeantur comprehensi illi casus, de quibus contrarium *evidenter* constet, prout censet Schmalzgrueber *de desponsat. impub. num.* 12. Ad quod recte intelligendum, referimus hic ex Instructione die 17 Januarii 1821 a S. Congregatione de Propaganda Fide data Episcopis et Vicariis Apostolicis in Imperio Sinarum responsionem ad duo Dubia sequentis tenoris. « S. Congregatio respondit *ad primum*. Si in praefatis regionibus, ubi publicatum non fuit decretum S. Concilii Tridentini,

» duo sponsi carnalem inter se deinde habeant
 » copulam, eam tamen non ex affectu maritali,
 » sed ex affectu illicito et fornicario, haec eorum
 » copula minime transire facit praecedentia eorumdem sponsalia in verum matrimonium coram
 » Deo, seu in foro conscientiae; sed liberi maneant,
 » atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex
 » aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias
 » alias legitime inire. Nihilominus, si eorum copula in foro externo et judiciali probetur, poterunt iidem ex praesumptione *juris et de jure*,
 » contra quam non admittitur probatio, per ecclesiasticam potestatem adigi ad sese habendos
 » tamquam veros conjuges, quibus, vivente consorti, quodvis conjugium interdictum sit ex *cap. 30 de sponsal. et matrim. Ad secundum*: Si
 » quis fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat, atque in hoc statu ad missionarium aliquem in tribunali poenitentiae accedat, debet eum interrogare, an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullum de validitate praesentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundae sed primae mulieris, ad eamque omnino redire debere. Additur vero ad eorumdem missionariorum instructionem, quod si

» forte homo iste probare non valens in foro ex-
 » terno carnalem copulam ab se habitam cum pri-
 » ma illa muliere, cogetur hinc per ecclesiasti-
 » cam potestatem cum altera muliere remanere,
 » qua cum publice matrimonium contraxit, debe-
 » ret is poenam quamlibet, ipsamque excommu-
 » nicationem humiliter potius sustinere, quam
 » cum altera hac muliere carnale commercium
 » exercere non sine lethali culpa, ex *capite 44*
 » *de sententia excommunicationis.* »

9.º De matrimonio christiano tractatus prae-
 sens praecipue verba facit, etsi de legitimo seu de
 contracto matrimonio in infidelitate nonnulla in-
 terserantur. Christus Dominus matrimonium in
 nova lege extulit ad dignitatem sacramenti; atque
 haec veritas de fide catholica est post Concilium
 Tridentinum *sess. 24 can. 1 de sacram. matrim.*
 Quoniam vero ex ejusdem Christi mandato sa-
 cramentorum administratio *exclusive* pertinet ad
 Ecclesiam juxta illud Apostoli *Ep. 1 ad Corinth.*
cap. IV v. 1 « sic nos existimet homo ut mini-
 stros Christi et dispensatores Mysteriorum Dei »
 hinc matrimonium christianum regitur ab Eccle-
 sia *exclusive*. Et quandoquidem in matrimonio
 christiano id quod est contractus est etiam sacra-
 mentum; hinc Ecclesia est, quae *exclusive* ejus
 honestatem et honorem tuetur legibus, et de ejus
 honestate et honore judicat in casibus particula-
 ribus. Leges istae habito respectu ad indolem ma-
 trimonii, qui non desinit esse contractus, respi-

ciunt legitimitatem personarum, et vocantur *im-
 pedimenta* vel *dirimentia* vel *impedientia*, prout,
 si non observentur, reddunt matrimonium vel *in-
 validum*, vel *simpliciter illicitum*. Utramque Ec-
 clesiae potestatem respexit Concilium Tridentinum,
 et quidem jus Ecclesiae imponendi impedimenta
 praesertim *dirimentia sess. 24 can. III et IV de*
sacram. matrim., potestatem vero judicandi in
 causis matrimonialibus *ead. sess. 24 can. XII*;
 in quorum canonum interpretatione aliquantisper
 est insistendum. Atque imprimis asserendum est
 canones illos esse dogmaticos, quod praeter prae-
 missa de *doctrina de sacramento matrimonii* pat-
 tet quoque ex eo quod in illis canonibus anathe-
 mate plectitur qui eam doctrinam non profitetur,
 quod non potest fieri, nisi illa doctrina sit de fide.
 Sed in illis canonibus non potest esse de fide,
 nisi potestas Ecclesiae de ponendis impedimentis
 et de causis matrimonialibus judicandis; sequi-
 tur proinde hanc potestatem Ecclesiam non ha-
 buisse mutuam a civilibus potestatibus, sed eam
 habere participatam a Christo; quia concessionem
 factae a principibus civilibus Ecclesiae, eorum-
 que indulta et ab ipsis participata Ecclesiae po-
 testas non est objectum dogmatis. Videantur Li-
 therae Apostolicae Pii IX « *Ad Apostolicae* » *diei 22*
Augusti 1851 (Syllabo errore 69 et 70). Ecclesia
 proinde jure proprio id est sibi a Christo con-
 cesso, non vero mutuato a principibus civilibus
 utramque potestatem habet, ut contra jansenistas

et regalistas aperte asseruit Pius VI in *Constitut.* « *Auctorem fidei* » in *condemnata propositione* 59 et 60 *de matrim.* Ex quarum propositionum damnatarum sensu manifestum factum est, sub nomine ecclesiasticarum personarum in illis canonibus non venire societatem ecclesiasticam lato sensu sumptam, maxime vero principes christianos, ut contendebant jansenistae, sed hierarchicam potestatem ecclesiae. Quae deinde hanc duplicem potestatem habet etiam *exclusive* quoad civilia gubernia seu principes laicos, ut ex citatis canonibus non incongrue eruitur. Dum enim Concilii Tridentini propositum esset proscribere errorem Lutheri, qui potestatem in ponendis impedimentis praesertim dirimentibus et causis matrimonialibus videndis, quam Ecclesiae denegabat, saecularibus principibus tribuebat, quando determinate definivit potestatem illam Ecclesiae esse propriam, eo ipso principibus saecularibus non competere iudicavit. Sed cum sequioribus temporibus ex conatibus Jansenistarum, Febronianismi, aliorumque regalistarum potestas haec leges ferendi et iudicandi de matrimoniis christianorum vel potestatibus civilibus *exclusive* tribueretur, vel saltem eis diceretur esse cum Ecclesia communis, tunc Romani Pontifices utrumque denegarunt, et utramque potestatem Ecclesiae *exclusive* vindicarunt, ut, praeter jam citatam constitutionem *Auctorem Fidei* luculentissime patet ex *Brevi* Pii VI directo ad Episcopum Motulensem

edito *die* 16 *Septembris* 1788, ex quo sequentia gravissima verba referimus: « Tamquam regius » delegatus ausus es solvere sacramenti vinculum, » et id gloriae duxisti tuae, ut in causis nullitatis » matrimonii tribueres laicis potestatibus auctoritatem leges dicendi in nuptiis, auctoritatem, » inquam, quam saeculi ipsae potestates sibi ar- » rogarunt numquam: hoc enim jus, quo late patet » in sola Ecclesia residet universum. » Quam doctrinam subsequentes Pontifices contra gliscentes errores proclamare non destiterunt, ut Pius VIII in *Encyclica diei* 21 *Maii* 1829, et Gregorius XVI *Encyclica diei* 15 *Augusti* 1832. Sed jam ab antiquo Ecclesia hanc potestatem constanti sua praxi sibi *exclusive* asseruit cum approbatione saecularium principum; et hoc ex eo praesertim ostenditur, quod Ecclesia leges civiles jam de matrimoniis latas, nonnullas probavit, alias correxit, alias demum primitus toleravit, dein abolevit, prout sunt leges de cognatione legali, quae probatae fuerunt, leges de divortiis, et de permissio maritali foedere inter consobrinas, quae fuerunt correctae, leges de interdictis matrimoniis filiorum familias et servorum absque assensu patris familias vel domini, quas primo toleravit, deinde vero Ecclesia abolevit, ut ex sequentibus patebit; et ex altera parte eadem Ecclesia alia impedimenta praesertim dirimentia constituit, quibus matrimonia christianorum regerentur; et principes laici haec Ecclesiae mandata humiliter receperunt. Imo adeo

se incompetentes hac in re recognoverunt, ut si vellent legislationem hac super re modificandam, ad Ecclesiam recurrerent, ut sua auctoritate id praestaret; prout exemplum luculentissimum prae-buerunt Reges Galliae, cum per oratores roga-verunt Patres Concilii Tridentini ut vellent irri-tare matrimonia clandestina et contracta a filiis familias absque parentum consensu, quas preces quoad primam partem admissae sunt, quoad al-teram rejectae ut patet ex *sess. 24 cap. 1 de re-form. matrimonii*. Antiquam hanc et exclusivam Ecclesiae possessionem recognovit ipse Van-Es-pen, qui *Jur. Eccles. univ. part. 2 tit. 13 num. 16*, ita ait: « Constat jam a pluribus saeculis Ec-clesiam, et quidem *privative* et cum exclusio-ne principum saecularium impedimenta diri-mentia inter catholicos ordinasse, eaque pro tem-porum et locorum circumstantiis nonnumquam extendisse vel limitasse, aut etiam relaxasse; ac per consequens negari non potest, quin Ecclesia hac potestate a primis saeculis pacifice usa fuerit. »

10.° At vero nonnulla ab assentatoribus po-testatis civilis et vetera et nova proponuntur so-phismata seu difficultates, quae putant probare fuisse ex Ecclesiae usurpatione, quod ea sibi vin-dicaverit hanc potestatem leges ferendi et judi-candi de matrimoniis christianis; et proinde eam esse principibus laicis reintegrandam, prout prae-senti aevo per matrimonii civilis inventum facti-

tatum est. Juerit proinde in iis diluendis diffi-cultatibus aliquantulum immorari. Matrimonium, ipsi ajunt, etsi sacramenti dignitatem induerit, non desiit tamen esse contractus, et sic ad instar aliorum contractuum et pactorum, manet sub re-gimine auctoritatis civilis. Verum facilis est re-sponsio. Praecisione enim facta a legibus, quae effectus civiles matrimonii moderentur, quas nemo negat posse a civili gubernio condi, et de quibus inferius loquemur; id certum est principum sae-cularium auctoritatem fuisse valde limitatam etiam antequam matrimonium ad dignitatem sacramenti a Christo eveheretur; sed post hoc Christi factum, illis quaecumque potestas fuit sublata *per subtra-ctionem*, ut ajunt, *materiae* nempe quia matri-monium ad superiorem ordinem fuit elevatum. Revera principum saecularium potestas nequivit aliquid statuere contra indissolubilitatem matri-monii, quam hoc consecutum est in prima sui institutione ex auctoritate et interventu divino, id est longe antequam matrimonium a Christo ele-varetur ad dignitatem sacramenti; prout in litteris ad Episcopum Agriae sub *die 11 Julii 1789* as-serit Pius VI. Relatis siquidem nostri protopa-rentis verbis: « *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea etc.* » subiungit: « Quo mani-feste patet, matrimonium vel in ipso statu na-turae, ac sane multo ante quam ad proprie di-cti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divini-tus institutum esse, ut secum afferat perpetuum

» indissolubileque nexum, qui proinde nulla civili
 » lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio
 » a matrimonio sejungi valeat, velut inter infideles;
 » adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem ve-
 » rum est matrimonium, perstare debet, et omnino
 » perstat perpetuus ille nexus, qui a prima ori-
 » gine divino jure matrimonio ita cohaeret, ut nulli
 » subsit civili potestati.» Verum, ut habetur in cit.
Brevi ad Episcopum Motulensem cum illud idem
 « matrimonium, quod ante adventum Christi nihil
 » aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus,
 » post Christi adventum evaserit unum ex septem
 » legis evangelicae sacramentis a Christo Domino
 » institutum », tunc in ordinem rerum spiritua-
 » lium et in dominium Ecclesiae transivit matri-
 » monium ab ipsa Ecclesia ut reliqua sacramenta
 ministrandum et ordinandum salva substantia ex
 institutione divina; et sic subtractum est in totum
 ab ordinatione principum civilium. Ad hoc enim
 ut auctoritas civilis posset super hoc matrimonio
 leges ferre et de eo judicare, necesse esset ut
 scinderetur matrimonium Christianorum in duo,
 et haberetur unum super quo civilis auctoritatis
 cura exerceretur, et aliud quod esset sacramen-
 tum, quasi contractui accessorium ab eoque sepa-
 rabile quod auctoritatis ecclesiasticae ordinationi
 subesset. Atque Concilium Tridentinum non di-
 stinxit inter haec duo matrimonia, sed declaravit
 simpliciter et absolute *sess. 24 can. 1 de sacram.
 matrim.* « Si quis dixerit matrimonium non esse

» vere et proprie unum ex septem legis evange-
 » licae sacramentis a Christo Domino institutum,
 » sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque
 » gratiam conferre: anathema sit.» Error pariter
 est a Pio IX in litteris Apostolicis « *Ad Aposto-
 licae* » 22 Augusti 1851 damnatus: « matrimo-
 » nii sacramentum non esse nisi quid contractui
 » accessorium ab eoque separabile » *Syllab. er-
 rore* 66. Item error est damnatus in *Epistola a
 Pio IX ad « Regem Sardiniae » diei 9 Septem-
 bris* 1852 et in *Allocut. Acerbissimum* 27 Septem-
 bris 1852 « vi contractus mere civilis potest inter
 » christianos constare veri nominis matrimonium;
 » falsumque est, aut contractum matrimonii inter
 » christianos semper esse sacramentum, aut nul-
 » lum esse contractum, si sacramentum exclu-
 » datur.» Quae omnia statuta sunt cohaerenter
 ad ea, quae decrevit Concilium Tridentinum, dum
sess. 24 cap. 1 de reform. matrim. juxta Bene-
 dictum XIV in *Epistola Redditae* ad Missionarios
 Hollandiae sub *die 17 Septembris* 1746: « qui
 » praeter formam a se praescriptam matrimonium
 » contrahere attentant, eorum non sacramentum
 » modo, sed contractum ipsum irritum diserte
 » pronuntiat, atque ut ejus verbis utamur, eos ad
 » sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et
 » hujusmodi contractus irritos esse decernit.»
 Ergo ratione contractus principes saeculares ne-
 queunt in matrimonio christiano nec leges ferre,
 nec judicare. Ex quo deducitur quid tenendum sit

de sententia nonnullorum theologorum, qui putabant in christianorum matrimonio ita contractum a sacramento dividi posse, ut illum omnino perfectum quandoque consistere crederent, quin sacramenti eminentiam pertingeret, quique retinentes sacramenti matrimonii ministrum esse sacerdotem, formam autem esse in benedictione sacerdotali, autumabant matrimonia clandestina, quae ante Concilium Tridentinum debebant haberi valida, ea dicebant constitisse in ratione contractus, non vero in ratione sacramenti. Nam si sermo sit de *divisione conceptuali*, et forte etiam *subjectiva*; utique alia est *ratio contractus* alia *sacramenti*; sed si de *divisione reali et objectiva* agatur, haec ex dictis admitti nequit; cum pro christianis non existat nisi unum matrimonium illudque essentialiter sacramentum, extra quod matrimonium sacramentum non habetur nisi exitialis concubitus; ac proinde omnis vulgo nominatus contractus matrimonialis *mere civilis* pro christianis est *sacrilegium*. Illa proinde matrimonia clandestina ante Tridentinum, et quae in locis contrahuntur, ubi Decretum Tridentini promulgatum non est, etsi illicita, subsistunt tamen tum in ratione contractus, tum in ratione sacramenti. Inde est matrimonii ministros esse contrahentes, formam vero verba vel signa quibus consensus exprimitur, juxta ea quae habet Eugenius IV in Instructione ad Armenos: « septimum est sacramentum matrimonii - Causa efficiens matrimo-

» nii regulariter est mutuus consensus per verba » de praesenti expressus. » Quod si Concilium Tridentinum praesentiam parochi requisivit, eum adhibuit uti *testem auctorabilem* non vero ut *ministrum*, quemadmodum si ab antiquo Ecclesia religiosos ritus in matrimonii celebratione praescripsit, non ideo id fecit ut *sacras* faceret nuptias, quasi sine illis *sacrae* non essent, sed ex eo quod *sancta sancte tractanda sunt*.

11.° Aliud argumentum ad asserendam principibus laicis potestatem statuendi impedimenta matrimonium christianum dirimentia, deque eo judicandi affertur; nempe matrimonium spectari posse ut officium naturae, ut officium communitatis, et ut officium religionis, ac sub quolibet hoc respectu attingi a lege naturali, civili et ecclesiastica; atque a lege civili quidem quatenus ordinatur ad bonum politicum. Sed ex enunciato principio non sequitur, talem esse auctoritati civili asserendam potestatem. A lege naturali siquidem regitur matrimonium, ne fiat contra honestatem; ab Ecclesia vero ad determinandas condiciones, ut contractus naturalis aptus dici possit ad sacramentum; nempe ex jure naturali et ex jure ecclesiastico possunt apponi impedimenta matrimonium dirimentia, et haec debet respicere et inviolata servare auctoritas civilis, saltem nihil statuendo in contrarium, cum ad bonum politicum ordinat matrimonium. Hinc leges, quae super matrimonio emanant ab auctoritate civili non possunt

esse tales, ut directe vel indirecte non recognoscatur validum illud matrimonium, quod catholicus contraxit juxta leges Ecclesiae; quemadmodum auctoritas civilis nequit recognoscere ut verum matrimonium, quod catholicus contrahere tentasset contra leges Ecclesiae, et quod non fuisset ab Ecclesia recognitum; proinde proponere nequit impedimenta matrimonium christianum dirimentia. Quod etiam ex alia ratione excluditur, cum in casu haberentur *duo suprema* in eodem genere, quae unum eundemque hominem in oppositas partes agerent; quod repugnat. Atque ab hac conclusione admittenda etiam adversarii refugiunt, dum hanc potestatem concedentes principibus laicis, quia matrimonium subditur statui, deinde Ecclesiae denegent, quia tenent matrimonium esse sacramentum *accidentaliter*. Neque dicatur a Guberniis non posse *efficaciter* ordinari matrimonium ad bonum civile et politicum, nisi imponendo impedimenta ipsum dirimentia. Atqui tamen id falsum est, namque ad prospiciendum bono publico et bono familiarum jam satis abunde provisum est per impedimenta posita tum jure naturali et positivo divino, tum jure ecclesiastico; et optime sibi prospiceret auctoritas civilis, si talia impedimenta ipsa recognosceret. At agnosce audaciam prorsus incredibilem! Quae gubernia civilia putant se posse censurae subjicere impedimenta dirimentia ab Ecclesia proposita, et aliqua velut inutilia tollunt, alia deinde ut utiliora et aptiora substituere non

reformidant. Cum ergo satis prospectum sit bono societatis civilis et domesticae, si gubernium aliqua intendit matrimonia rationabiliter impedire, habet ad manum omnia media praeventiva et poenalia, quibus efficaciter suum finem consequatur, quin sibi arroget superflua, et civium conscientias inique vexet.

12.^o At iis supervenit aliud argumentum, quod nostris temporibus maximum sibi vindicat pondus ex nova societatum conditione. Ajunt ergo: fortasse statum civilem in sua legislatione quoad matrimonium catholicorum teneri respicere ad eorumdem religionem, cum populi unica est religio nempe catholica; sed hodie omnes societates sunt mixtae religionis, habetur principium libertatis conscientiae, et omnium religionum protectio. Porro in hisce statibus Gubernium, ut pro omnibus civibus servet uniformitatem, nequit in legibus considerare matrimonium nisi sub respectu tantum civili et facta abstractione a symbolo sectarum religiosarum; proponet hinc pro omnibus civibus eandem matrimonii contrahendi formam, eadem praescribet impedimenta, et assecutionem omnium effectuum civilium alligabit observationi omnium articulorum suae legis. At isti enormiter falluntur; ex invocato enim principio libertatis religionis, quo quivis satisfacere plene valet obligationibus conscientiae, quin leges civiles ei obstant sed potius protegant, consequitur omnino contrarium. Ex hac siquidem lege fieret, ut catholicus obligaretur illud

matrimonium non retinere validum, quod secundum dictata Ecclesiae validum est; et è contra illud conjugium habere validum, quod juxta placita suae Ecclesiae invalidum est cum omnibus corollariis practicis, quae ex hoc sequuntur nempe lucri vel non effectuum civilium. Neque ad excusandam talem injustitiam et usurpationem satis est allegare rationem *uniformitatis legis*. Quandoquidem si verum est, quod leges civiles alicujus populi debeant modificari et inflecti secundum placita religionis, quod ab iis omnibus admittitur, qui non tuentur omnimodam independentiam status a jure quoque naturae; profecto quando populus est mixtae religionis, nequit in omnibus servari *uniformitas materialis* in legibus, sed recurrendum est ad *uniformitatem formalem*. Isti autem conditores legum civilium considerant populum mixtae religionis velut populum atheum, quod verum non est.

13.º Ex dictis consequitur, quid censendum sit, de invento et applicato *matrimonio civili*, quam calamitatem catholica quoque Italia nunc persentit. Matrimonium porro civile illud dicitur, quod initum coram civili magistratu ad praescriptum legis ab iis personis, quarum legitimitas a Statu exclusive determinatur, *unice* validum recognoscitur ad consequenda jura conjugalia et effectus civiles. Incognitum toti antiquitati christianae initium habuit ex Lutheri et Protestantium haeresi denegante matrimonio christiano dignitatem sacramenti, crevit

vero ex atheismo magnae Revolutionis Gallicae, infecitque plures nationes data lege, in qua excludebantur omnia impedimenta dirimentia ab Ecclesia proposita, quae originem haberent ex obligatione religiosa, nempe voti solemnem, cognationis spiritualis, disparitatis cultus, ordinis sacri, et publicae honestatis, atque etiam raptus. Cum autem jam illae nationes lugere incipiant mala gravissima, quae ex illo exorta sunt, et in aliquibus datae sint petitiones, ut haec pars legislationis dispareat, sin minus reformetur habita ratione religiosi dictaminis; ecce venenata haec merx in Italiam invehitur, nostrique legislatores ut eam facilius venditent illis omnibus utuntur sophismatibus, quae jam a doctis viris fuerunt disjecta. Quin imo, cum haec infausta lex sit jam civitate donata, hodie exasperare illam conantur imponentes celebrationem matrimonii civilis debere esse praeventivam cujuscumque matrimonii religiosi, quod schema legis admissum a Camera Deputatorum, est in discussione in Senatu. Nec sufficit, namque et de inducenda lege divortii sunt petitiones, de quibus agitur in dicta Camera Deputatorum. Quae pravorum molimina nisi Deus avertat, eveniet profecto, quod in societate gentilium reprehendebat Sapiens *cap. 14 v. 26*: « Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immunitatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae. » Porro hoc matrimonium civile in locis, ubi promulgatum est Decretum Tri-

dentini Concilii *sess. 24 cap. 1 de reform. matrim.* retinendum est pro catholicis omnino invalidum propter defectum formae substantialis ex *cit. Ep. Benedicti XIV « Redditae sunt Nobis. »* Nec ullum est suffragium legis civilis, quippe quae potestas ex dictis est in hac re prorsus incompetens ac proinde nulla esset ratio, cur a fidelibus deberet praestari obedientia, qui prompti reddere Caesari quae sunt Caesaris, reddunt tamen Deo quae sunt Dei. Ad redimendas vero injustas vexationes propter bonum prolis et ad tollendum periculum poligamiae Ecclesia tolerat, ut fideles illi se subjiciant eos tamen instruendo, quo animo debeant illud praestare; et quid in hac re juxta doctrinam Ecclesiae debeant tenere. In hunc sensum S. Poenitentiaria insistens praecipue jam allegatis Litteris Benedicti XIV « *Redditae sunt nobis* » dedit Instructionem Parochis Italiae die 15 *Januarii* 1866, cujus tenor hic refertur: -

« 1. Ciò che già da gran tempo temevasi, ed i
 » Vescovi o singolarmente, o collettivamente con
 » rimostranze piene di zelo e di dottrina e persone
 » d'ogni ordine colle loro erudite penne, e lo stesso
 » Sommo Pontefice colla autorità della sua voce
 » procurarono di tenere lontano, vediamo pur
 » troppo stabilito in Italia. Il così detto contratto
 » civile di matrimonio non è più un male, che
 » la Chiesa di Gesù Cristo, debba deplorare oltre
 » le Alpi, ma è un male, che trapiantato in queste
 » contrade d'Italia minaccia co' suoi tristi effetti

» contaminare la famiglia, e società Cristiana.
 » E questi funesti effetti sono stati ravvisati dai
 » Vescovi ed Ordinarii de' Luoghi, altri de' quali
 » con opportune istruzioni han già messo in guar-
 » dia il loro gregge, ed altri hanno fatto sollecito
 » ricorso a questa Apostolica Sede, per avere
 » norme sicure onde regolarsi in affare così im-
 » portante, e pericoloso. E sebbene per comando
 » del Sommo Pontefice questo S. Tribunale abbia
 » già dato non poche risposte, ed istruzioni alle
 » dimande particolari; tuttavia per soddisfare alle
 » istanze, che di giorno in giorno si moltiplicano,
 » il Santo Padre ha ordinato, che per mezzo di
 » questo medesimo Tribunale sia inviata a tutti
 » gli Ordinarii de' Luoghi, dove è stata pubbli-
 » cata l'infesta legge, una istruzione da servire
 » di norma generale a ciascuno di loro, per rego-
 » lare i fedeli, e procedere concordemente a soste-
 » nere la purità de' costumi e la Santità del ma-
 » trimonio Cristiano. - 2. Nell'eseguire però gli
 » ordini del S. Padre questa S. Penitenzieria crede
 » superfluo di rammentare ciò, che è domma no-
 » tissimo della nostra Santissima Religione, essere
 » cioè il matrimonio uno de' sette Sacramenti,
 » instituiti da G. C. e perciò alla Chiesa, cui lo
 » stesso Gesù Cristo affidò la dispensa de' suoi
 » divini misteri, appartenere solamente il rego-
 » larlo. Così ancora crede superfluo ricordare la
 » forma prescritta dal S. Concilio di Trento *sess. 24*
 » *cap. 1 « Reformat. matrimonii, »* senza l'osser-

» vanza della quale non potrebbe nei luoghi ove
 » è pubblicato contrarsi validamente matrimonio. -
 » 3. Ma da queste ed altre massime e dottrine
 » cattoliche i Pastori delle anime devono formare
 » istruzioni pratiche, con cui facciano bene inten-
 » dere ai fedeli quello, che la Santità di Nostro
 » Signore proclamava nel Concistoro segreto dei
 » 27 Settembre 1852, cioè *inter fideles Matrimo-*
 » *nium dari non posse, quin uno eodemque tempore*
 » *sit sacramentum, atque ideirco quamlibet aliam*
 » *inter christianos viri et mulieris, praeter Sa-*
 » *cramentum, coniunctionem etiam civilis legis vi-*
 » *factam nihil aliud esse, nisi turpem atque exi-*
 » *tialem Concubinatum.* - 4. E da ciò potranno
 » facilmente dedurre, che l'atto civile avanti gli
 » occhi di Dio, e della sua Chiesa non può essere
 » considerato in conto alcuno non che di Sacra-
 » mento neppure di contratto e che come la po-
 » testà civile è incapace a legare alcuno de' fedeli
 » in Matrimonio, così è incapace a scioglierlo, e
 » che perciò, come questa S. Penitenzieria ha già
 » dichiarato in qualche risposta ai dubbii partico-
 » lari, ogni sentenza di separazione intorno a con-
 » jugi uniti in matrimonio legittimo avanti alla
 » Chiesa, pronunziata da laica potestà, sarebbe
 » di niun valore, ed il conjuge, che, abusando
 » di tale sentenza, ardisse di unirsi con altra Per-
 » sona, sarebbe un vero adultero, come sarebbe
 » vero concubinario chi presumesse di stare in ma-
 » trimonio in forza del solo atto civile, e l'uno

» e l'altro sarebbe indegno di assoluzione finchè
 » non rinsavisse e sottoponendosi alle prescrizioni
 » della Chiesa, non tornasse a penitenza. - 5. Quan-
 » tunque però il vero matrimonio de' fedeli allora
 » solamente si contrae quando l'Uomo e la Donna
 » scevri di impedimenti dichiarano il mutuo con-
 » senso avanti il Parroco e testimonii, giusta la
 » citata forma del S. Concilio di Trento, ed il ma-
 » trimonio così contratto abbia tutto il suo valore,
 » nè abbia affatto bisogno d'essere riconosciuto,
 » o confermato dalla Potestà civile: tuttavia per
 » evitare vessazioni e penè, e pel bene della prole,
 » che altrimenti dalla Laica Potestà non sarebbe
 » riconosciuta per legittima, e per allontanare an-
 » cora il pericolo di poligamia si ravvisa oppor-
 » tuno ed espediente, che i medesimi fedeli, dopo
 » d'aver contratto legittimo Matrimonio avanti alla
 » Chiesa si presentino a compiere l'atto imposto
 » dalla legge, con intenzione però (come insegna
 » Benedetto XIV, nel Breve dei 17 Settembre 1746
 » « *Redditae sunt Nobis* ») che presentandosi al-
 » l'ufficiale del Governo non fanno altro, che una
 » cerimonia meramente civile. - 6. E per le stesse
 » ragioni e non mai in senso di prestar mano al-
 » l'esecuzione dell'inausta legge, i Parrochi non
 » dovranno ammettere indifferentemente alla cele-
 » brazione del matrimonio avanti alla Chiesa quei
 » fedeli, che, per essere proibiti dalla legge, non
 » sarebbero poi ammessi all'atto civile, e quindi
 » non riconosciuti per conjugi. In ciò devono usare

» di molta cautela e prudenza sentire il parere
 » dell' Ordinario, e questi non esser facile nell' an-
 » nuire; ma ne' casi più gravi consultare questo
 » S. Tribunale. - 7. Che se è opportuno ed espe-
 » diente, che i fedeli col presentarsi all' atto civile
 » si facciano conoscere per legittimi conjugii in
 » faccia alla legge; non devono però mai compiere
 » un tal atto senza aver prima celebrato il matri-
 » monio avanti alla Chiesa. E se mai la coazione,
 » od un' assoluta necessità, che non deve facil-
 » mente ammettersi, portasse di invertire un tale
 » ordine, allora deve usarsi di tutta la diligenza,
 » affinchè quanto prima sia contratto il matrimonio
 » avanti alla Chiesa, ed intanto i contraenti stiano
 » separati. Ed intorno a ciò si raccomanda di at-
 » tenerci alla Dottrina sviluppata da Benedetto XIV
 » nel mentovato Breve a cui Pio VI nel suo Breve
 » a' Vescovi di Francia « *Laudabilem majorum*
 » *suorum* » dei 20 *Settembre* 1791, e Pio VII nelle
 » sue lettere scritte gli 11 *Giugno* 1808 a' Vescovi
 » delle Marche rimettevano per istruzione i Vescovi
 » medesimi, che avevano chiesto norme per rego-
 » lare i fedeli in simile contingenza di atto civile.
 » E dopo tutto questo è facile vedere, che non
 » resta in alcuna maniera alterata la prassi fin qui
 » osservata intorno al matrimonio, e segnatamente
 » intorno a' libri parrocchiali, sponsali, ed Impe-
 » dimenti Matrimoniali di qualunque natura sta-
 » biliti o riconosciuti dalla Chiesa. - 8. E queste
 » sono le norme generali che in ossequio degli

» ordini del S. Padre questa S. Penitenzieria ha
 » creduto di segnare, e sopra le quali gode l' animo
 » di vedere, che molti Vescovi ed Ordinarii hanno
 » già modellato le loro istruzioni, e si nutre fiducia,
 » che altrettanto faranno tutti gli altri, e così mo-
 » strandosi pastori vigilanti n' avranno merito e
 » premio da Gesù Cristo Pastore di tutti i Pastori. -
 » Dato in Roma dalla S. Penitenzieria li 15 *Gen-
 » najo* 1866. » - In iis vero regionibus in quibus
 Tridentini Concilii Decretum non fuit promulga-
 tum, pariter lex de civili connubio nullius est ro-
 boris, sed quia lex ecclesiastica nullam prae-
 scripsit matrimonio formam ad ejus validitatem
 necessario exigendam, ideo talia matrimonia coram
 civili magistratu inita valida sunt, si aliud cano-
 nicum impedimentum dirimens non obstat. Semper
 tamen ibi matrimonium civile est vetitum et illi-
 citum, quia Ecclesia Dei jure praecepit, ut ma-
 trimonium utpote sacramentum in forma liturgica
 contraheretur.

14.° Denegata Guberniis civilibus auctoritate
 in regendo matrimonio christiano quoad vinculum,
 non tamen ii sumus, qui quamcumque curam eis
 interdiciamus. Libenter siquidem recognoscimus in
 potestate laica: - 1.° Jus imponendi nonnullas con-
 ditiones in forma impedimentorum impediendum
 praeter appositas ab Ecclesia etiam in matrimonio
 christiano, quoties publicum bonum id exigat, puta
 ne minorum matrimonia fiant absque consensu pa-
 rentum, ne militiae addicti matrimonia contrahant

nisi certis servatis regulis ac de venia auctoritatis militaris. - 2.º Jus communiendi sanctione has praescriptiones, quae sanctio potest quaelibet esse aut in mulctis pecuniariis, aut in carcere, aut in amissione jurium, dummodo non attingat validitatem contracti matrimonii ex dictis. - 3.º Jus denegandi talibus a se vetitis connubiis nonnullos effectus civiles, quae res aliqua eget explicatione. Porro sub nomine effectuum civilium juxta communem Doctorum opinionem veniunt: - (a) Jura reciproca conjugum individuae nempe vitae consuetudinis, ut teneantur ad invicem officia maritalia sibi exhibere, nec valeant ad alias nuptias primis per mortem non resolutis convolare. - (b) Recognitio constitutionis dotis aliorumque instrumentorum aut pactorum respicientium assignationes bonorum causa matrimonii. - (c) Legitimitas filiorum. - (d) Istorum successio intestata in haereditatem parentum, aliarumque personarum cum illis sanguine junctarum; - (e) Successio eorumdem in feuda, aliosque honores a statu familiis tributos praesertim in societate imparium. - Jam vero status nequit omnes istos effectus civiles denegare iis matrimoniis, quae valida sunt, etsi contra interdictum prohibens illius sint contracta. Si enim status aliquod matrimonium ut validum habet, nequit absque contradictione permittere, ut sine ulla causa resolvatur individua vitae consuetudo, quemadmodum nequit permittere, ut primo contempto aliud ineatur conjugium; proinde non

potest non tueri jura reciproca conjugum. - At è contra valet status in talibus conjugiiis a se vetitis denegare recognitionem constitutionis dotis, aliorumque instrumentorum et pactorum respicientium assignationes bonorum causa matrimonii. Cum enim istarum pactionum juridicus valor pendeat a constitutionibus civilibus; imo sint adinventia civilia, quandoquidem penes diversas nationes diversa viget lex et consuetudo; hinc status est velut in dominio proprio; unde si jure impedit illa conjugia, jure pariter eis denegat in talibus suam tutelam. Ita ad sedandas justas catholicorum et praesertim Episcoporum querelas explicatus fuit sensus renovati a Ludovico XIII Rege Galliarum Edicti Henrici Regis anno 1629 et 1639, in quo constituebantur *invalida* matrimonia celebrata a filiis familias absque consensu parentum; nempe in eo edicto: « non agi de sacramento matrimonii, neque de ejus essentialibus ceremoniis, sed de validitate conventionum matrimonialium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate etc. » - Disputant Doctores, an status filiis ex talibus matrimoniis genitis valeat denegare legitimitatem civilem, quam profecto habent coram Ecclesia. Si enim status recognoscere tenetur illud matrimonium ut validum, quomodo filiis denegare valebit legitimitatem saltem quoad omnes suos effectus, cum legitimus filius ille sit, qui nascitur ex justis seu validis nuptiis? Quemadmodum disputant Doctores an status valeat filiis ex istis conjugiiis ge-

nitis denegare jus successionis in haereditatem parentum intestatam; haec enim successio etsi a jure civili fuerit determinata, tamen habet fundamentum in jure naturae. Omnes tamen Doctores conveniunt quod denegatio istorum duorum effectuum civilium esset insipiens et crudelis, cum status puniret directe in filiis delictum parentum, quando aliae poenae sunt magis directae et efficaces, quibus ea conjugia valent impediri. Hic tamen notandum est aliud esse repellere a jure successionis personas haec interdicta matrimonia ineuntes, et aliud privare jure successionis filios ex istis matrimoniis natos: primum inconditionate a statu fieri potest, ut in renovato edicto Ludovici XIII jam citato; alterum est quod nos ut improvidum et crudele reprehendimus. Demum status potest denegare filiis ex interdictis conjugiiis genitis successionem in feuda aliosque honores proprios nobilitatis in societatibus quae constant pluribus ordinibus; nam talia jura sunt ex omnimoda status institutione, potest proinde ad assecutionem eorumdem emolumentorum et honorum quascumque conditiones imponere. Revera aliquando ista emolumenta et honores fuerunt denegati, quia non fuit adimpleta conditio ut nobilis aequae nobili desponsaretur, a fortiori, si matrimonium inicum sit a statu interdictum etsi ab eo ut validum recognitum. - 4. Demum status habet *jus registrandi* matrimonia, atque considerandi hanc registrationem ut legalem probationem existentiae supradicti ma-

trimonii; nam legalitas probationum pendet a decisione status, et ipse valet quoque exigere, ut aliquod factum una potius quam alia ratione probetur. Imo si haec registratio non fiat infra determinatum tempus, potest status punire conjuges negligentes etiam mulctis pecuniariis, aliisque mediis. At quodcumque fiat, eam tenetur semper recipere etiam serotinam, et tunc retinendum erit matrimonium existere non a tempore registrationis, sed ab eo tempore, quo constet esse contractum, quamvis de registratione non opportuno tempore facta infligi possit poena. Imo ex aequitate receptum est, ut haec probatio legalis per aequipollentem suppleri possit, quando impossibile est per obvientes circumstantias, ut registratio locum amplius non habeat.

15.º Matrimonium Christianum, ut ex disputatis liquet, regitur legibus, quarum aliquae dicuntur *impedimenta dirimentia*, illudque reddunt invalidum, aliae appellantur *impedimenta impedientia* et reddunt illicitum. Impedimenta quidem dirimentia alia sunt ex jure naturae, alia ex jure positivo divino, alia demum ex jure ecclesiastico; impedimenta vero impedientia, quae respicit directe jus canonicum, sunt ex jure ecclesiastico. At quaenam est in Ecclesia auctoritas, quae haec impedimenta imponit, quilibet ne Ordinarius, aut suprema tantum potestas, nempe Concilium Generale et Romanus Pontifex? Loquimur primo de impedimentis dirimentibus. Quid sit de anti-

quissima praxi Ecclesiae, ex qua Episcopi pro sua dioecesi fortasse poterant leges dicere imponendo matrimonio impedimenta quoque dirimentia, certum est hodie et jam a pluribus saeculis eis sublatam esse hanc potestatem, factamque esse *causam majorem* supremae auctoritati in Ecclesia reservatam, nempe Pontifici aut Concilio generali, uti probat Benedictus XIV « *De Synod. dioeces.* » *lib. 12 cap. 5 num. 2* afferens auctoritatem Sanchez et Pontii; quod factum esse videtur ad servandam uniformitatem in negotio adeo arduo, in quo difficultates oriri facile possunt. Pontifex autem vel Concilium generale haec impedimenta proponere valet aut *ad modum legis*, pro universa Ecclesia, aut *ad modum praecepti* cum nempe in aliquo particulari eventu prohibet, ne inter peculiare personas matrimonium contrahatur, simulque decernit, ut si contra suam prohibitionem contrahatur sit irritum, prout pluribus exemplis probat Benedictus XIV *loc. cit. num. 2*; quae tamen clausula irritans non est praesumenda adjecta esse decreto, sed probanda est esse talis, cum nimis gravet. At contra alii Ordinarii praeter Romanum Pontificem id nequeunt praescribere neque *ad modum regulae*, neque *ad modum praecepti*, qui scilicet Episcopi etsi valeant severissimis poenis communire observantiam legum ecclesiasticarum non possunt tamen sua abuti auctoritate adhibentes clausulam irritantem cum a lege actus est simpliciter vetitus sed non irri-

tus effectus; prout *loc. cit.* laudatus Pontifex discrete confirmat. De impedimentis vero impediens dicendum est ea pariter posse proponi vel *ad modum regulae* pro universa Ecclesia, vel *ad modum praecepti pro aliquo casu peculiari*. Asserta vero Pontifici et Concilio generali facultate ea proponendi utroque modo quod attinet ad alios Ordinarios dicendum est eos non valere proponere talia impedimenta *ad modum regulae*, propter eandem rationem uniformitatis, bene vero ad modum praecepti, ut demonstrat Benedictus XIV *de Syn. dioeces. lib. 8 cap. 14 num. 5*; tunc enim potius est impedire infractionem jam existentis legis ecclesiasticae, ad quod Ordinarii locorum debent totis viribus attendere. Consuetudine quoque ecclesiastica posse impedimenta etsi dirimentia inolescere receptum est. Et revera impedimentum *cultus disparitatis* quamvis dirimens ortum habuit exconsuetudine, cum nulla ecclesiastica lex scripta statuerit invalida esse matrimonia a baptizatis inita cum non baptizatis, sed tantum consuetudine, cujus brevem historiam dabimus cum de illo impedimento agemus. Verum hodie quid praestare poterit consuetudo tum in inducendis novis impedimentis praesertim dirimentibus, sive in antiquis abolendis? Respondendum est quod ad servandum idem principium *uniformitatis*, consuetudo si est particularis, tum si inducat novum impedimentum tum si antiquum aboleat, est semper irrationalis, proinde carens effectu, prout docet Bene-

dictus XIV *Constitut.* « *Singulare Nobis* » diei 9 *Februarii* 1749. At si est generalis, tunc inolescere non permittitur nisi ex expressa approbatione Summi Pontificis propter materiae gravitatem; et potius lex scripta evaderet, ut tenet Fagnanus in *cap. 1 de cognat. spirituali et cap. 5 de consanguin. et affinit.*

16.^o Postquam visum est quaenam sit potestas a qua proveniant impedimenta, nonnulla nunc dicamus de iis qui talibus legibus subduntur. Impedimentis dirimentibus propositis a jure naturae vel a jure positivo divino ligari universum humanum genus ex eo constat, quod jus naturae ea praecipiat quae sunt contractui substantialia, et ea vetet, quae intrinsece inhonestae sunt; quae proinde praecepta aut vetita afficiunt omnes homines. Jus vero positivum divinum cum editum sit in ipso primo connubio nostrorum protoparentum prout suo loco ostendetur, fuit velut forma omnium matrimoniorum, quae in progressu a filiis celebranda forent. Legibus autem ab Ecclesia hac in re propositis non ligari infideles certissimum est, qui sicut non sunt iudicio Ecclesiae subiecti, juxta illud Pauli « quid mihi de his, qui foris sunt, judicare » sic non persentiunt legislativam auctoritatem Ecclesiae. Ex adverso nemo negare valet Ecclesiasticis impedimentis teneri fideles, cum lex liget subditos. Tota proinde quaestio est de haereticis, schismaticis, deque iis omnibus qui dum per susceptio-

nem baptismi subditi Ecclesiae facti sunt, ab ejus tamen communione sunt divisi, et a societate ecclesiastica penitus avulsi. Et quoad hos dubium non est in hoc; an scilicet Ecclesia habeat necne potestatem eos suis legibus obligandi: nam cum baptismus semel susceptus numquam amittatur ex *cap. 7 de divort.*, isti permanent subiecti potestati Ecclesiae, quamvis privati sint omnibus bonis et privilegiis societatis ecclesiasticae (in quo consistit ratio excommunicationis, seu exclusionis a societate ecclesiastica). At quaeritur an Ecclesia intendat eos hac de re obligare seu adigere ad observantiam legum, quamvis eos sciat futuros contumaces, et ipsi retineant valida esse matrimonia quae Ecclesia fecit invalida? Super qua re mihi videtur aptior esse sequens responsio, quae certis probatur argumentis, nempe: « Quidquid censendum sit de impedimento dirimente clandestinitatis a Concilio Tridentino inducto, de quo agemus singillatim *tit. III.*, retinendum est, hos etsi ejectos a societate Ecclesiae, et quoque efformantes alias societates haereticorum aut schismaticorum in genere teneri ad observantiam istarum legum matrimonialium » Diximus *in genere*, quia hic non loquimur de haereticis et schismaticis orientalibus diversorum rituum, qui habent hac in materia legislationem prorsus diversam, atque de ipsis non potest conclusio generalis proponi. Duobus vero argumentis gravissimis probatur propositio, quorum primum est: Impedi-

menta ista jam erant ab Ecclesia proposita, quando modernae societates haereticorum exortae sunt, non est proinde arguendum Ecclesiam in iis edendis illos non respexisse; et ex altera parte nullum habemus indicium Ecclesiam deinde eos voluisse excipere ab earumdem observatione. Qui proinde initio tenebantur, quomodo probatur exinde fuisse a legum observatione exemptos, cum istae leges non tam sanctificationem individuorum respiciant, quam bonum publicum societatis ecclesiasticae, et multum conferant honori matrimonii, et bono societatis ecclesiasticae? Alterum argumentum non minus concludens hoc est, quod Ecclesia haereticos, aliosque baptizatos a sua communione separatos retinuerit obnoxios supradictis impedimentis; nam quod pertinet ad impedimentum dirimens cultus disparitatis, Ecclesia censuit hoc non solum ligare fideles sed et haereticos, prout docuit Benedictus XIV in citata Constitutione « *Singulare Nobis.* » Quod autem spectat ad impedimentum consanguinitatis in gradibus jure ecclesiastico prohibitis S. Sedes matrimonia in haeresi contracta quoad haereticos ad unitatem catholicam revertentes sananda per dispensationem Episcopis indulserit. Revera inter facultates quas S. Universalis Inquisitio concedit Episcopis Imperii Austriaci legitur sequens: « dispensandi in tertio et » quarto consanguinitatis simplici et mixto re- » late ad fideles in matrimoniis contrahendis » in contractis vero cum haereticis conversis etiam

» in secundo simplici et mixto, dummodo nullo » pacto primum attingat.» Ergo illa matrimonia in talibus gradibus in haeresi contracta erant invalida; sed non obstabat nisi impedimentum juris ecclesiastici, proinde lex impedimenti ecclesiastici haereticos ligat. Quae argumenta talia sunt, ut non admittant nullam in contrarium exceptionem.

17.º Juxta hodiernam Ecclesiae ordinationem impedimenta impediencia sunt quatuor comprehensa sequenti versu: « Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum. » Impedimenta autem dirimentia a nonnullis canonistis recensentur *quatuordecim*, ab aliis *quindecim*. Haec tamen differentia non est ex hoc quod alii non admittant, alii è contra recenseant decimum quintum impedimentum, sed solummodo ex eo, quod nonnulli impedimentum *aetatis* teneant esse speciem generalis impedimenti *impotentiae*, alii ex adverso probent non esse confundendum impedimentum *aetatis* cum impedimento *impotentiae*, quorum ultimorum opinio videtur esse magis fundata et praeferenda, ut videbimus *tit. 2.* Haec porro impedimenta dirimentia comprehenduntur his versibus:

- « Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
- » Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
- » Aetas, affinis, si clandestinus et impos,
- » Raptave sit mulier, nec parti reddita tutae. »

Cum autem fere de omnibus hisce impedimentis habeantur in Decretalibus Gregorii IX tituli speciales, hinc de iis in citatis titulis pertractabimus,

exceptis impedimentis quatuor dirimentibus, nempe erroris, vis et metus, cultus disparitatis et raptus de quibus, cum non habeantur tituli speciales, in hoc primo titulo sermonem instituemus.

18.º Et primo de impedimento erroris. Errare ille dicitur, qui aliud pro alio putat: unde error differt ab ignorantia, quia haec est carentia scientiae, error autem scientiae oppositus, est enim falsa scientia. In casu proinde contractus matrimonialis erroneus est, cum quis putat se contrahere cum hac persona, aut cum persona talibus qualitatibus praedita, quae tamen ea non est, aut tales qualitates non habet. Unde error esse potest vel *circa personam* vel *circa qualitates*: esse pariter potest vel *antecedens*, qui dedit causam contractui, vel *concomitans* seu *incidens*, sine quo contractus etiam intervenisset. Porro error circa personam est substantialis, unde sive sit antecedens sive concomitans, sive vincibilis sive invincibilis facit semper irritum matrimonium, *errantis enim nullus est consensus*, ut constat ex *can. 2 quaest. 1 caus. 29*; atque est impedimentum intrinsecum ipsi contractui, et juris naturalis et reddit matrimonium invalidum, nisi quis *cum persona praesente QUAECUMQUE EA SIT* contrahere vellet. Error in nomine personae caeteroquin notae et praesentis non obstat ex *cap. 26 h. t.* et ex Responso S. Congregationis Concilii in *Romana nullitatis matrim. diei 9 Augusti 1817.*— Verum error circa qualitatem personae (excepto

errore conditionis, de quo in titulis sequentibus) regulariter non irritat matrimonium, etiamsi sit antecedens et ex dolo inductus ex *cap. 18 h. t.*, dolus enim non constituit de se impedimentum matrimonii. Haec tamen ultima conclusio patitur duas exceptiones, quarum *prima* est: si quis alligasset consensum existentiae qualitatis, in qua errat, *ut conditioni, sine qua non* peregisset contractum: id tamen debet ostendi concludentibus argumentis, et in foro externo id non praesumitur etiam posito errore et dolo. Exceptio *altera* est, si qualitas in qua error verificatur, adeo emineat saltem in conceptu contrahentis, ut censeatur refundi in personam, ut si quae putaretur esse filia magni principis territorialis, quae in veritate non esset nisi de familia privati hominis, et ita porro de aliis exemplis, quae ab auctoribus afferuntur. Atqui hoc in casibus particularibus est difficilis omnino probationis, nempe quod ea qualitas ita emineat, ut ejus defectus censeatur constituere aliam prorsus personam.

19.º Alterum impedimentum dirimens est *vis et metus*. De his locuti sumus *lib. 1 tit. XL*, in quo sermo fuit de valore actuum, qui vi metusque causa fiunt. Hic tantum addendum est: — 1º requisita metus, ut matrimonium sub illo censeatur esse nullum, debere esse, quod metus sit extrinsecus, gravis, injustus et directus ad consensum extorquendum, ut habeatur ratio gravis injuriae in ordine ad matrimonium. — 2º Concilium Tri-

dentinum *sess. 24 cap. 9 de reform. matrim.* poenam statuisset in eos, qui ad matrimonia contrahenda talem incuterent metum, nempe excommunicationem majorem ipso facto incurrendam.

- 3° Antiquitus matrimonium metu initum revalidatum fuisse longa cohabitatione, ex qua vel praesumptive vel vere constaret metum hunc fuisse depositum ex *cap. 21 h. t.* Verum post Concilium Tridentinum, ex quo consensus quomodo-cumque elicitus non valet ad ineundum matrimonium, sed coram paroco et duobus vel tribus testibus debet proponi, rem esse immutatam, nam si publice constat metum fuisse iniustum, tunc eo modo non purgatur, cum S. Congregatio Concilii in *Panormitana nullitat. matrim. diei 30 Septem. 1719* responderit: « S. Congregatio saepe pius respondit hodie post Concilium Tridentinum matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula aliosque actus non convalidari; nisi iterum contrahatur adhibita rursus ejusdem Concilii forma. » Monet autem Benedictus XIV *Institutione ecclesias. 87 § magno studio* hanc juris immutationem non advenisse, nisi cum impedimentum metus est publicum; contra vero si est occultum, et solemnitas a Tridentino praescripta fuit jam adhibita, tunc manere veteris juris dispositionem, ita ut non sit necessarium nisi clam renovare consensum ex declaratione Pii V et subsequentibus decisionibus S. Congregationis.

20.° Tertium impedimentum dirimens est *Raptus*. Prout hic consideratur raptus est: « violenta mulieris abductio de loco in locum in ordine ad contrahendum matrimonium. » Unde ad hoc impedimentum inducendum requiritur: - 1° ut sit abductio mulieris de loco in locum; - 2° ut fiat ad finem conciliandi matrimonii; - 3° ut fiat abductio ex violentia, cui aequiparatur dolus, dummodo in utroque casu habeatur mulier invita. Indoles autem hujus impedimenti est ex Concilio Tridentino *sess. 24 cap. 6 de reform. matrim.*, ut inter raptorem et raptam non possit verum consistere connubium, quamdiu rapta sub potestate raptoris fuerit, seu, prout explicant Doctores, quamdiu loco tuto reddita non sit. Et jure citamus Concilii Tridentini decretum cum *raptus* impedimentum proprie ab illo decreto inductum est. Etsi enim crimen raptus jam ab antiquo non minus imperialibus quam ecclesiasticis legibus fuerit interdictum et severissime punitum, non inducebat tamen ante Tridentinum Concilium matrimonii impedimentum distinctum ab impedimento *vis et metus*, ceu aperte colligitur ex *cap. 7 de raptor.*, cujus tenor hic est: « Rapta puella legitime contrahet cum raptore, si prior dissentio transeat postmodum in consensum, et quod ante displicuerat, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum sint legitimae personae ». Atqui hoc verificabatur in vi et metu; nam si sublata fuisset vis aut cessasset; item si metus purgatus

fuisset, et prior dissensus transiret postea in consensum, tunc legitimum erat matrimonium. At hodie post supradictum Concilii decretum non ita est, nam etsi rapta facta sit ex nolente volens, quamdiu tamen manserit sub potestate raptoris, inter hunc et raptam nequit esse verum conjugium. Manet ergo impedimentum usque dum manet factum existentiae mulieris raptae sub raptoris potestate, quia lex praesumit durante hoc facto consensum mulieris raptae non esse undequaque liberum, et perseverare vim vel metum. Antiquitus ergo in crimine raptus obstabat matrimonio *impedimentum vis vel metus veri*; hodie post decretum Concilii Tridentini obstat *impedimentum vis vel metus praesumpti*. Quae tamen praesumptio est *juris et de jure* non admittens probationem directam in contrarium, quae nempe praesumptio generalis legis non frustratur, et proinde dispositio manet, etiamsi in casu particulari non verificetur: quod obtinet quoties leges considerantes id quod plerumque fit, de omnibus casibus uniformiter disponunt, quin excipiant casum, in quo aliter extraordinarium contingit. Quod in hac materia facilius explicari potest, cum talis dispositio licet praecipue ad tuendam mulierum libertatem in connubiis edita sit; sed non excluditur tamen esse in odium et poenam gravissimi illius criminis inductam. - Raptus duae sunt species, alius enim dicitur *violentiae*, alius *seductionis*. Raptus quidem violentiae habetur, cum: - 1° aliqua mu-

lier de loco in locum invita violenter abducitur, vel: - 2° cum ad locum dolo illecta, ibi dolo vel vi retinetur, namque in hoc casu dolus vi aequiparatur. Raptus autem seductionis est: - 1° cum mulier ipsa cum viro libere consentit in fugam, imo et eam expetit ad matrimonium, obstant tamen, utpote inviti vel inscii sunt, parentes aut tutores, sub quorum potestate est constituta: ideo autem licet improprie seducta dicitur, quia hujus criminis raptus censetur principalis auctor vir, qui mulierem depravaverit seductione. - 2° cum mulier blanditiis, illecebris, dolisque simul illecta consentit in fugam et in matrimonium, et est vel dicitur vere seducta invitae vel insciis parentibus sub quorum potestate est. Nemo dubitare potest quin impedimentum dirimens sit raptus violentiae primae et secundae speciei; ibi enim dolus talis est, ut apertae violentiae aequiparetur, et eodem modo noceat ac violentia. Inter Doctores autem controversatur, an raptus seductionis fuerit in decreto Concilii comprehensus; et pro utraque sententia non desunt nec nomina Doctorum nec argumenta; nos quid probabilius censeamus duabus propositionibus exponemus: - I.° Non videtur posse rationabiliter sustineri comprehendi in impedimento raptus statuto *ex cap. 6 sess. 24 de reform. matrim. casum primae speciei*, quo mulier libere consentit cum viro in fugam, imo et eam expetit ad matrimonium, obstantibus seu invitae aut insciis parentibus vel tutoribus, sub quorum

potestate ea mulier est constituta, quae species est improprie dictae seductionis. - Qui auctores tum veteres tum recentiores contrariam tuentur sententiam, eam probant argumento fuse exposito a Cardinali De Luca in *annotation. ad Conc. Trid. discurs. 28* et a Riganti in *regul. Cancellar. II num. 84*; nempe Concilii Tridentini dispositio in *cap. 6 sess. 24 de reform. matr.* manet in omnibus illis casibus, in quibus juxta terminos juris civilis habetur crimen raptus; nam interrogata S. Congregatio: « an raptores mulierum, quae raptui consenserint, comprehendantur quoad poenam et matrimonii prohibitionem decreto Concilii Tridentini? » *sub die 24 Januarii 1608* respondit: « Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis; » atqui etiam consentiente muliere imo et expetente fugam ad matrimonium conciliandum, est tamen semper crimen raptus juxta civilem legem, quando mulier est sub parentibus vel tutoribus, nam crimen raptus potest committi contra puellam et ejus parentes ac tutores, vel simpliciter contra parentes et tutores; ergo etiam in casu habetur impedimentum. Ast hujus argumenti major propositio in sui generalitate non est vera, namque: - (z) Omnes conveniunt etiam patroni contrariae sententiae, quod raptus mulieris ad explendam libidinem vel propter alios fines, quam ad conciliandum matrimonium sit verum crimen raptus punitum ut tale a legibus imperialibus, et tamen omnes Doctores

pariter conveniunt hos casus non comprehendi in Lege Concilii Tridentini, et ita fuisse declaratum refert in notis ad Conc. Trid. Gallemart a Congregatione Concilii *die 23 Januar. 1585*. Quod probatur quoque ex stylo Curiae Romanae, quae in omnibus literis dispensationum Ordinariis commissarum inserit clausulam: « *dummodo mulier PROPTER HOC rapta non fuerit* » quae verba *propter hoc* id est matrimonium, inepte inducta fuissent, si in decreto Concilii comprehenderetur raptus mulieris factus ob aliam causam quam ad matrimonium, prout recte notat De Justis *de dispens. matrim. lib. 2 cap. 18 num. 48*. - (9) Insuper, ut ex propositionis positione patet, certum est quod in casu crimen raptus non fuisset commissum contra mulierem ex hypothesis volentem et expetentem fugam ad matrimonium, sed tantum contra parentes vel tutores sub quorum potestate ea erat constituta, qui erant inviti vel inscii, et ex hoc matrimonium esset invalidum ob raptus impedimentum: hoc autem nonne demonstraret esse ad matrimonii validitatem filiorum familias necessarium consensum parentum? Atqui tamen Concilium Tridentinum eadem *ses. 24 cap. 1 de reform. matrim.* eos anathemate damnat, qui falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. - (γ) Quid quod ipsa S. Congregatio idem aperte declaravit? Nam *in causa Rubensi Raptus et censurarum die 3 Martii 1714*

respondit: « Raptori non obstare raptum ad con-
 » trahendum matrimonium cum puella rapta, con-
 » stito quod raptus fuerit executus nedum consen-
 » tiente, sed et sollicitante ipsa puella. » - (δ) Demum
 illi quoque qui contrariam defendunt sententiam
 tenent raptorem puellae invitae ejus parentibus,
 cum qua jam contraxit sponsalia de futuro, si ipsa
 sit consentiens, non incurrere in interdictum de-
 creti Concilii Tridentini, ut habet P. Thesaurus
de poenis ecclesiasticis cap. 2 verb. Raptus asse-
 rens jus civile correctum esse a Concilio. Ex quibus
 omnibus ruit argumentum Card. De Luca, et no-
 strae propositionis veritas ostenditur. At dicet quis-
 piam: quomodo explicatur declaratio S. Congre-
 gationis *diei 24 Januar. 1608* superius relata?
 Respondeo vel dicendum esse S. Congregationem
 progressu temporis mutasse sententiam, et reces-
 sisse ab ea nimis rigida interpretatione data in
 decisione anni 1608, vel, ut aliis Doctoribus placet,
 illa verba esse intelligenda limitata ad probationem
 consensus, quatenus nisi evidenter constet mulie-
 rem libere omnino consensisse, retinendum sit
 eam sub metu consensum edidisse. - II.º Probabi-
 lius nec in interdicto ejusdem *cap. 6 sess. 24 de*
reform. matrim. comprehenditur *casus secundae*
speciei, cum mulier blanditiis illecebris dolisque
 simul illecta consentit in fugam et in matrimo-
 nium, et est vel dicitur vere seducta invitae vel
 insciis parentibus vel tutoribus, sub quorum po-
 testate est. Revera inter hunc et primum casum

haec est differentia, quod hic ex parte viri ha-
 beat locum mulieris depravatio blanditiis illecebris
 dolisque, ita ut quae prius erat nolens facta sit
 volens, et quae erat bona facta sit prava. Verum
 quae prava facta est nunc ex hypothesis vere vult
 fugam ad matrimonium conciliandum, nec ejus
 voluntati ulla vis infertur. Cum ergo in casu non
 habeamus nisi injuriam illatam parentibus, et non
 desit nisi eorum consensus, applicantur ad casum
 eadem rationes prius propositae. Quod pertinet
 autem ad duos casus, et praesertim quoad hunc
 ultimum id est notandum, quod nisi plenissime
 ostendatur mulieris consensum fuisse omnino li-
 berum semper praesumitur intervenisse violen-
 tiam, et mulieris consensum fuisse metu extortum,
 cum raptus crimen imputetur viro. Et quia dif-
 ficilis probatu est haec omnimoda libertas consen-
 sus, hinc est quod plures emanent a S. Congre-
 gatione decisiones, quae videntur probare ab Ea
 admitti raptum seductionis, cum revera non sint
 nisi de raptu violentiae, quae semper praesumitur
 nisi evidentissime excludatur, ut in *causa Her-
 bipol. Matrim. 24 April. 1858* et *Parisiens. 27 Au-
 gust. 1864.* - Raptus autem constituit impedimen-
 tum matrimonii, quaecumque sit mulier, quae ra-
 pitur, virgo, deflorata, vidua, bonae vel malae
 famae mulier, ut cum communi Doctorum sentit
 P. Thesaurus *op. et loc. cit.*, ratio est, quia at-
 tenditur in eo decreto Tridentini ad libertatem pro
 matrimonio, et cuique mulieri fit injuria, si in hoc

gravatur. In quo Decretum Concilii correxit dispositionem juris civilis qua non habebatur crimen, si raperetur mulier inhonesta. At è contra non videtur comprehendi casus raptus viri, quod late ostendit Sanchez *De Matrim. lib. 7 disput. 12 et 13 num. 16*, quia decretum loquitur de raptu mulierum, et non comprehenditur sub lege casus insolitus. Neque dicatur libertatem eodem modo requiri in viris ac in mulieribus; hoc enim verum est, et proinde si vir metu adactus matrimonium iniverit, hoc est invalidum sed in casu praesenti sermo est de *metu praesumpto*. - Advertit insuper P. Thesaurus *loc. cit.* dictum decretum Concilii in hoc quoque correxisse legem civilem, quod cum ista *Auth. de rapt. mulier.* statuatur matrimonium esse nullum, si rapta consentiat nubere raptori, hoc juxta Concilium procedat usque dum rapta fuerit sub potestate raptoris; nam semel ac in loco fuerit tuto constituta valet matrimonium inire cum eo. - Quando vero dicimus Decretum Concilii non applicari nisi raptus fuerit admissus ad matrimonium ineundum, nos loquimur de vi decreti importantis nullitatem matrimonii; nam quoad alias poenas applicatur decretum semper, et sic fuisse a S. Congregatione decisum refert Giraldi *exposit. Jur. Pont. part. 2 sect. 123* nempe « Raptores quarumcumque mulierum, etiamsi eas non rapiant ad effectum contrahendi cum ipsis matrimonium sed ob alias causas esse ipso jure excommunicatos. » - Super hoc impedimento sicut et in metu

dispensatio ab Ecclesia non datur, ne videatur dispensatio attingere substantialia contractus nempe consensum, et ut integra libertas in matrimoniis servetur. Hinc, ut antea fuit animadversum, in dispensationibus matrimonialibus apponitur conditio: « dummodo mulier propter hoc (matrimonium) rapta non sit. » Quae clausula importat non modo quod in impedimento raptus non dispenseatur, ut dictum est; verum etiam sensum habet, ut si aliqui obtineant dispensationem nulla facta mentione raptus in supplicatione, obtenta dispensatio a quocumque alio impedimento est subreptitia, et Episcopus debet denegare executionem, etiamsi rapta sit separata a raptore et libere consentiat eum in virum habere, ut decisit S. Congregatio *die 10 Novembris 1583 Dub. ad cap. 6 sess. 24 de reform. matrim.* - Cohaerenter ad ea quae diximus de metu ejusque purgatione post Concilium Tridentinum hic addimus matrimonium cum raptus impedimento initum, postquam mulier de viri potestate egressa est, non sanari per longam cohabitationem aliosque modos, sed esse necessarium illud inire iterata forma Concilii, etsi talis forma in primi matrimonii celebratione fuisset servata in iis tamen locis ubi decretum de abolendis matrimoniis clandestinis fuit promulgatum.

21.º Quartum impedimentum, de quo in hoc titulo agitur, est impedimentum *disparitatis cultus*. Est autem haec vel *proprie* talis, vel *improprie*; iterum *antecedens* matrimonio, vel *subsequens*. Lo-

quimur hic tantum *de antecedente*, cum de subsequente sermo erit instituendus in *titulo XIX de divortiis*. Cultus disparitas *antecedens proprie dicta* est, quando matrimonium inter duas personas initur, quarum una est baptizata, altera vero baptizata non est. *Impropria* autem habetur, cum matrimonium contrahitur inter duas personas baptizatas, quarum tamen una est catholica, altera pertinet ad aliam qualemcumque societatem heterodoxam. Primo sensu accepta cultus disparitas est impedimentum dirimens, sub altero vero est impedimentum impediens, et matrimonia contracta cum hoc impedimento impediens vocantur matrimonia *mixta* seu *mixtae communionis*. Hoc porro impedimentum dirimens non provenit christianis vel ex jure naturali, vel ex jure positivo divino, quemadmodum fuse demonstrant Auctores tum Theologi tum Canonistae, et declarat Benedictus XIV Epistola decretali: « *Singulari Nobis* » diei 9 Februarii 1749 jam citata; verba enim B. Pauli *Ep. 2 ad Corinth. cap. 6* « *nolite jugum ducere cum infidelibus* » exposita fuerunt de impedimento impediens ab Apostolis inducto, quod in antiquitate legitur habuisse etiam aliquas exceptiones, cum ex singularibus virtutibus partis christianae nedum videretur remotum periculum perversionis, sed fundata spes affulgeret conversionis infidelis conjugis ad Christum. - Neque *proprie dicta lex ecclesiastica* talia matrimonia irrita fecit, sed hoc dirimens impedimentum in-

ductum est ex consuetudine generali vim legis habente jam ab initio saeculi duodecimi Ecclesiae, ut probat Bellarminus *De Sacramen. Matrim. lib. 1 cap. 23*; quo ex tempore mores populi adeo exhorruerunt conjugia cum paganis, mahomedanis et judaeis a christianis inita, ut ea dissocianda penitus judicarent. Quam legem hodie vigere, et obligare quoque haereticos, ac quoscumque baptizatos etsi a communionem ecclesiae ejectos, similiter attingere quaecumque loca, licet nuperrime evangelii legem susceperint, docet Benedictus XIV in *cit. Epistola*. In hac lege generali non dispensat nisi Romanus Pontifex, et in Epistola referuntur nonnulla dispensationis exempla, imo et facultas Missionariis Japoniae aliarumque finitimarum Insularum concessa, ut novos illos christifideles ab hoc impedimento solverent. Dispensatio haec in locis infidelium raro et gravibus de causis concedi solet pro matrimoniis jam contractis vel contrahendis; in locis vero christianorum tantummodo pro matrimoniis jam contractis. In utrisque autem apponuntur sequentes conditiones, nempe: - (α) ut cohabitatio cum infideli nec ullum periculum perversionis, nec ullam creatoris contumeliam includat, scilicet quod fidelis ad peccatum ab infideli non pertrahatur; - (β) ut proles ex tali matrimonio suscepta in christiana religione educetur; - (γ) ut spes probabilis habeatur de infidelis conversione. Lato sensu accepta disparitas cultus, nempe inter haereticum baptizatum et catholicam vel vi-

ceversa constituit impedimentum *impediens* matrimonium, et hoc est unum ex *vetitis* Ecclesiae in jure notatis. Periculum subversionis causa praecipua fuit cur Ecclesia haec matrimonia interdiceret, et jam a tempore apostolico indictum fidelibus est, ut haereticum hominem devitarent; ex quo deinde damnata sunt talia conjugia in *can. 14* Concilii Chalcedonensis, aliisque legibus sequioribus temporibus latis; atque hoc impedimentum *impediens* hodie in viridi observantia est penes universam Ecclesiam.

22.º Dispensationem hoc super impedimento ad matrimonium licite contrahendum non posse nisi a Romano Pontifice concedi, non autem a quovis Ordinario locorum explorati juris est, cum agatur de lege generali Ecclesiae. Romanorum Pontificum autem hac super re pro diversis temporibus diversa praxis fuit. Namque nullae olim concessae sunt dispensationes in contrahendis hujusmodi matrimoniis *nisi haeresi* per partem acatholicam *ejurata*, prout refert Cardinalis Petra in *Constit. XII Joannis XXII tom. 4 num. 14*. Imo Innocentius X cavet, ne dispensationes hujusmodi concederentur, nisi per authentica documenta prius demonstratum esset haereticam labem a contrahente heterodoxo *ejuratam* fuisse, ut refert Cardinalis Albitius *De Inconstantia in fide cap. 18 num. 14*. Et Clemens XI in Congregatione S. Officii coram se habita *die 16 Junii 1610* mandavit inhiberi per litteras Archiepiscopo Mechliniensi,

ne ullas omnino licentias aut dispensationes impertiretur pro matrimoniis inter partem catholicam et haereticam celebrandis, nisi abjuratio haeresis *reipsa* praecessisset. At subsequentibus temporibus exigentibus circumstantiis ab hoc rigore temperatum est, et permissum ut dispensato impedimento matrimonium inter tales personas iniretur. Sed, prout advertit Benedictus XIV Constitutione « *Magnae nobis* » *diei 29 Junii 1748 § 4 et 5* concessionem istam rarissimam fuerunt, et pleraeque earum pro matrimoniis inter supremos principes contrahendis, nec nisi gravissima urgente causa eaque ad publicum ordinem pertinente factae sunt: insuper adjecta semper est opportuna cautela, ne conjux catholicus ab haeretico perverti posset: imo potius ille tenebatur spondere sub juramento, se pro viribus curaturum, ut hunc ab haeresi retraheret; et invicem acatholicus pariter sub jurisjurandi fide promittere debebat, se permissurum, ut proles utriusque sexus ex eo matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate educaretur; et pars catholica id se facturam pariter sub eadem jurata fide spondere debebat. Hodie ad aliquorum civilium guberniorum aemulationem cessandam non insistitur in exigendo hoc juramento de procuranda conversione partis acatholicae, ut in *Instructione Cardinalis Antonelli diei 15 Novembris 1858 ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos data*, sed in exigenda promissione insistitur ut liberum sit parti catholicae

exercitium suae religionis et universa proles in sacris itidem catholicis educetur. Quin imo, cum nonnulla gubernia civilia hanc promissionem de educatione universae proles in religione catholica juramento firmari a parte acatholica prohibuissent, ut Rex Borussiae edicto *dato die 7 Junii 1855* pro suo exercitu vetuit, neque amplius ex indulgentia Ecclesiae hoc juramentum in illis regionibus exigitur, sed sufficit, si habeatur etiam quaecumque spontanea promissio. - Quia tamen haec Ecclesiae concessio non est nisi mera tolerantia hinc denegatae fuerunt *denuntiationes* seu *proclamationes* talium matrimoniorum a parochis catholicis faciendae, prout docuit Pius VI in *Epistola ad Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem diei 13 Julii 1783*; atque hodie in genere ita servatur excaepo quod in aliquibus regionibus puta Bavaria per *Instructionem Cardinalis Bernetti de die 12 Septembris 1834* aliisque regionibus Germaniae et Hungariae per tolerantiam conceditur ut a parochis catholicis tum consuetae proclamationes fiant, tum etiam de factis proclamationibus litterae merae testimoniales concedantur, in quibus (si nullum adsit dirimens impedimentum) unice enunciatur nihil aliud praeter vetitum Ecclesiae ob impedimentum mixtae religionis matrimonio conciliando obstare, nullo alio addito verbo, ex quo consensus aut approbationis vel levis suspicio sit oritura. Ex eadem ipsorum matrimoniorum mera tolerantia factum est, ut quando praecessisset dispensatio

pontificia de talibus matrimoniis conciliandis, et a contrahentibus praescriptae ab Ecclesia conditiones fuissent admissae, concederetur adsistentia parochi, sed mere passiva seu materialis, nempe ut adsistat, sed non in loco sacro, nec aliqua veste sacrum ritum praeseferente indutus, neque recitet super contrahentes preces aliquas ecclesiasticas, et nullo modo ipsis benedicat, ut ex cit. Epistola Pii VI. Atque ita hodie communiter servatur, nisi quod in Germania praxis fere communis videtur invaluisse, ut quotiescumque conditiones Ecclesiae, praesertim de prole catholice educanda suscipiuntur, benedictio quoque sponsis concedatur, et in iis pari modo procedatur ac in catholicorum matrimoniis exclusa semper Missae celebratione; quam praxim tolerante S. Sede inductam ex eo plerique arguunt, quod in citatis Litteris Cardinalis Antonelli modus adsistentiae remittatur arbitrio rationabili Episcoporum in gravioribus casibus, et prudentia ab hoc rigore in tali casu recedendum suaserit. Dispensationes istae super matrimoniis mixtis aut conceduntur ab Episcopis locorum ex facultate a Summo Pontifice concessa, vel a Suprema Congregatione S. Officii. Quando conceduntur ab Ordinariis locorum, advertendum est haberi decretum Congregationis de Propaganda Fide sub die 30 Aprilis 1865, quo ex jussu Summi Pontificis Pii IX nequeunt hac dispensandi facultate uti in Italos « de quibus non

constet italicum domicilium omnino deseruisse. » Quando autem dispensatio datur a Congregatione S. Officii, si personae etiamsi exterae maneant in Italia, semper praecipitur, ut matrimonium contrahant extra Italiae fines. Et faxit Deus quod haec laudabilis exceptio possit pro Italis et pro Italia manere.

23.º Matrimonia mixta ea communiter appellantur, quae a partibus ineuntur, quarum utraque est baptizata, sed ad diversas communionem christianas pertinet. At aliquando intervenit ut baptismus vel non fuerit collatus, aut invalide is praestitus fuerit, vel de ejus collatione aut valore dubitetur; unde hi casus possunt intervenire, nempe: - (α) quod neutra pars baptismum receperit, vel invalide utraque eum susceperit, aut: - (β) quod una valide sit baptizata, alia vel non susceperit baptismum, aut certe invalide, aut: - (γ) quod una sit baptizata, de alterius vero baptismi collatione aut de ejus validitate dubitetur, vel: - (δ) quod una non sit baptizata aut invalide, de alterius vero baptismi collatione aut validitate dubitetur, aut demum: - (ε) quod de utriusque baptismi collatione sive de ejus validitate dubitetur. Isti autem casus hodie sunt maxime frequentes, quia a pluribus sectis haereticorum maxime protestantium aut negligitur administratio baptismi, aut de ejus validitate potest rationabiliter dubitari propter vitium rationalismi, quo istae

sectae inficiuntur, seu propter innumeros errores, quos profitentur. Porro si primus casus adveniat, censendum est illud non esse matrimonium mixtae religionis, sed potius matrimonium in infidelitate contractum; unde si nihil obstet ex parte juris naturalis vel divini positivi, illud profecto subsistit, atque in hoc concors est Doctorum sententia, atque subveniunt juris ecclesiastici certa dictata, cum tales personae non dicantur proprie loquendo esse haeresi infectae, sed potius infideles; at inter infideles non attenduntur quoad matrimonium nisi impedimenta juris naturalis et positivi divini, non autem juris ecclesiastici. In secundo casu matrimonium non solum est illicitum, sed quoque invalidum si attentetur, quia non obstat mixta religio, at cultus disparitas *proprio sensu accepta*; est siquidem matrimonium copulatum inter personas, quarum una est baptizata, alia non est, et ad illud contrahendum valide necessaria esset dispensatio ab Ecclesia data ab impedimento cultus disparitatis. Si occurrat tertius casus vel sermo est de matrimonio contrahendo vel jam contracto; si agatur de matrimonio contrahendo, posito quod adsint graves causae ad dispensandum, et baptismus sub conditione nequeat dari ex contumacia alterius partis pertinaciter remanentis in haeresi nec volentis ad catholica sacra transire et baptismum recipere, necessarium est, ut *sub conditione* concedatur dispensatio ab impedimento dirimente cultus dispa-

ritatis, ne validitas matrimonii celebrandi in discrimen vocetur. Si vero matrimonium est contractum, tunc reiteratio haec baptismi intelligitur esse facta sine praejudicio matrimonii, prout notatum est in *tit. 42 lib. III num. 4*, et ex Responso Congregationis S. Officii *diei 17 Novembris 1830*. Et ratio evidens est; nam baptismus si est quoad validitatem dubius, iteratur sub conditione propter ejus necessitatem: at è contra matrimonium quando actum est, tenendum est pro ejus validitate, *usque dum non constet illud fuisse invalidum*, quod non verificatur quamdiu dubii sumus de ejus valore. Quartus casus, qui verificari nequit nisi de matrimonio jam celebrato resolvitur ex sequenti responso S. Officii dato *die 20 Julii 1840*: « Vir quidam protestans anglicanae » ecclesiae vult amplecti religionem catholicam. » In Anglia matrimonium fecerat cum muliere, » quae ad sectam anabaptisticam pertinebat, et » quae, prout ipse affirmat, numquam baptizata » fuit. Quum vero ipse baptismum a ministro » protestante anglicano receperit, de validitate ejus » proprii baptismatis ratio quoque dubitandi gravis existit. Propter jurgia continua mulierem » anabaptistam vir praefatus deseruit, venitque N. » ubi matrimonium iterum fecit sed cum muliere » lutherana. Quaenam ex istis mulieribus tamquam » ejus uxor haberi debet? » S. Congregatio respondit: « Dummodo constet de non collatione » baptismi mulieris anabaptistae, primum matri-

» monium fuisse nullum; secundum vero, dummodo nullum aliud impedimentum obstet, fuisse » validum. » Quintus demum casus item videtur esse resolutus ex Rescripto Congregationis S. Officii *diei 5 Februarii 1851*, quod editum est in casu quo unus contrahentium ad catholicam fidem conversus sub conditione rebaptizatus est, altera parte, de cujus pariter baptismi valore serio dubitabatur, remanente in haeresi. Rescriptum autem est sequentis tenoris: « generatim loquendo qui » in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, » habendos esse ex capite baptismatis tamquam » valide conjugatos, nisi forte certe et evidenter » constet in aliquo casu particulari haeticum de » quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum; » sed oratorem, quoties occurrunt casus particularis hujus generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum » ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum » feriae IV *diei 17 Novembris 1830* a Pio VIII » approbatum. » - Quando autem dubium vere sit in baptismo suscepto vel in validitate ejus, id colligitur ex qualitate probationum ex utraque parte.

TITULUS II.

De Desponsatione Impuberum.

1.° Quae unice principalis proponitur hoc titulo quaestio est: quaenam sit aetas apta sponsalibus, aut matrimonio conciliando? Post eam vero veniunt dependentes aliae quaestiones. Porro quod respicit sponsalia, attendendum est ex jure ecclesiastico sponsalia non consistere, nisi fiant aut saltem rata habeantur a sponsis, contra quod jure romano statutum erat, ut filiae sponsum, et filio sponsam pater ex sua auctoritate unice eligeret. Jus equidem ecclesiasticum in hoc recognovit omnimodam libertatem filiorum familias, actumque proprium exegit in sponsalibus conciliandis saltem taciturnitatis illorum praesentium patre promittente, ut explicat Giraldi *Expositio juris pontif. part. 1 sect. 666*. Ex quo sequitur

aetatem aptam sponsalibus a jure canonico eam designari, in qua usus rationis ita evolutus est, ut quis intelligat quid agat sponsalia ineundo, seu se obligando ad futuras nuptias. Haec autem aetas ordinarie loquendo est aetas septennii pro utroque sexu, ut clare habetur *cap. 4, 5 et 13 h. t.* ita tamen ut si ante hanc aetatem habeatur jam evolutus rationis usus, valeant sponsalia, prout post S. Thomam *in 4 dist. 27 quaest. 2 art. 2* tenent Sanchez, Fagnanus, ac praecipui Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num. 10*.

2.° Licet vero sponsalia etiam ante pubertatem ex dictis contrahi valeant, plures tamen habentur differentiae inter sponsalia a puberibus vel ab impuberibus contracta. Imprimis enim sponsalia haec in impubertate inita nequeunt neque mutuo dissensu dissolvi antequam ad pubertatem sponsi devenerint; idque ostendunt Doctores ex auctoritate *cap. 7 h. t.*, ne propter lubricum iudicium ipsi sponsalia facile et saepe temere contrahant, iterumque dissolvant. Imo si impubes cum pubere contraxit, pubes neque de consensu impuberis resilire potest, antequam hic pubertatem adeptus sit, quia ob aetatem impubes caret consensu sufficienti ad sponsalium dissolutionem, ut notat Sanchez *De matrim. D. 51 n. 10*. At postquam ad pubertatem devenit, potest a sponsalibus initis resilire etiam altera parte invita, quamvis nullam recessus causam alleget, ut pariter probant communiter auctores ex *cap. 7 h. t.*;

parcitur siquidem immaturo eorum judicio, ut non teneantur inviolabiliter observare, quod in non satis firma aetate fecerunt, nisi id postea ratum habuerint. Et cum haec resiliendi libertas unicuique impuberi competat, hinc ex interpretatione *d. cap. 7 h. t.* ille, qui prior pubertatem est assecutus, statim valet a sponsalibus resilire, etiamsi alter nondum pubes factus fuerit. Quod si sponsalia contracta fuerint a pubere et impubere, tunc hoc privilegium puberi non conceditur, si impubes pubertatem adeptus stare velit sponsalibus. Eruunt id Doctores ex *cit. cap.*, et sibi imputet pubes, si deterioris conditionis est altera comparte, quemadmodum juxta leges civiles accidit in majoribus contractum agentibus cum minoribus. Quamvis autem ita impune absque causa impubes adepta pubertate valeat altera parte invita resilire a sponsalibus, nihilominus contractum publicae honestatis impedimentum manet, ut ostendunt Auctores ex *cap. 4 in fin. h. t.* Consulto diximus impuberes pubertatem adeptos posse ab antiquis sponsalibus resilire, quia nisi id faciant, sola taciturnitate ea sponsalia firmantur cum praesumatur ille consensus perseverare, qui ab initio in sponsalium editione datus est. Ita tenet Pirhing *n. 7 h. t. cum communi*. Quando vero teneantur isti resilire, ne eorum taciturnitas pro ratihabitione sumatur, disputant Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num. 31. 32.* etsi omnes admittant eos teneri

statim resilire, quod verbum diversimode interpretantur.

3.° Concessae facultati resiliendi a sponsalibus datae impuberibus qui ad pubertatem pervenerunt, duae fiunt exceptiones, quarum *prima* notatur in *cap. 8 h. t.*, cum nempe ante pubertatem legalem impuberes se carnaliter cognoverunt; tunc siquidem jure antiquo habebatur matrimonium praesumptum, de quo jam egimus *t. 1.* Sed hodie haec exceptio amplius non est, ubi fuit publicatum Decretum *cap. 1 sess. 24 de reform. matrim.* Concilii Tridentini. Alteram exceptionem innuunt Doctores ex *cap. 10 de sponsal. et matrim.* nempe quando sponsalia sunt *jurata*. Disputantibus autem ipsis circa vim et extensionem hujus juramenti hoc mihi probabilius videtur nempe (a) non obstante hoc juramento sponsalia impuberum, quando ad pubertatem sponsi pervenerunt, posse mutuo consensu dissolvi, quin necesse sit ab iis praevie peti juramenti dispensationem, cum id licere ex eadem ratione explanatum sit *tit. 1* circa sponsalia a puberibus contracta, et juramentum sequatur naturam obligationis, cui additur. (b) Cum hoc juramentum videatur ad hoc esse directum, ut impuberibus eam facultatem tollat, qua facti puberes absque causa et altera parte irrequisita valeant resilire a sponsalibus in impubertate initis; hinc puto probabilius esse, quod haec sponsalia ad eam firmitatem per additum juramentum redu-

cantur, qua gaudent sponsalia puberum, quae tamen non obstante juramento per justam causam aut ex communi partium dissensu possunt dissolvi. Et ad illud privilegium servandum non esse necessariam relaxationem juramenti a legitima auctoritate ecclesiastica obtentam. Quod autem per additum juramentum sponsalia impuberum aequiparentur sponsalibus puberum maxime rationabile videtur, tum propter respectum juramenti, tum ex eo quod majori consideratione edatur ille actus, qui deinde juramento firmatur. (c) Hinc non puto esse recurrendum ad illam distinctionem propositam a Reiffenstuel *h. t. num. 16*, Schmalzgrueber *h. t. num. 43*, aliisque, scilicet inter impuberes pubertati proximos, et ceteros pubertati non proximos.

4.° Ad matrimonium praeter expeditum usum rationis, ex quo valeant partes consentire, requiritur quoque potentia generandi, seuabilitas ad copulam carnalem perfectam, quae communi verbo vocatur pubertas. Hanc vero pubertatem jus civile Romanorum determinavit ex annis, ita ut viri haberentur puberes decimo quarto aetatis anno completo, foeminae vero aetatis anno decimo secundo pariter completo, cum ea aetate viri soleant acquirere potentiam generandi, et mulieres esse viri potentes; atque hinc ante illam aetatem interdictum est matrimonium, ex *leg. 14 digest. de sponsal.* Hanc regulam secuti sunt quoque canones ex *cap. 2 h. t.*, quo districtius inhibetur, ne aliqui

quorum uterque aut alter ad aetatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, conjungantur. Hoc est quod dicitur impedimentum aetatis. Non ita tamen absolute jus canonicum adoptavit regulam a jure civili propositam, ut exceptionem non admitteret. Namque attendens ad factum notatum in *cap. 3 h. t.* nempe eum esse puberem, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et esse puerperas, quae in annis puerilibus pariunt; deinde in *cap. 9 h. t.* regulae propositae de aetate pubertatis citra quam vetantur conjugia, dedit limitationem scilicet, *nisi malitia suppleat aetatem*; hoc est, nisi ante aetatem statutam a lege personae intelligant quid agant, cum matrimonium contrahunt, et simul ad copulam habendam potentes sint. Quae si verificantur, ad contrahendum matrimonium ante annos pubertatis non est necessaria venia superioris, cum haec limitatio regulae a jure expresse ponatur; iudex proinde intervenire tantum debet, quando dubium est, an verificetur exceptio nec ne, at non cum de exceptione constat, ut in hypothesisi.

5.° De impedimento autem aetatis olim quaerebatur, esset ne juris naturalis, aut positivi humani? Profecto, cum ille impedimento aetatis non laboret, qui ita adolevit, ut habeat expeditum rationis usum intelligens vim contractus matrimonialis, et simul sit *actu* ad copulam perfectam maritalem habilis, si hoc impedimentum esset juris naturae, arguendum esset, tum potestatem edendi

consensum sufficientem ad matrimonium, tum potentiam actualem ad habendam copulam maritalem esse ex jure naturae; atqui licet primum sit de jure naturae necessarium (non enim est contractus sine consensu, nec consensus sine expedito usu rationis), nequit quoad alterum sustineri; proinde solo jure positivo humano ad valorem matrimonii pubertas requiritur. Id post S. Thomam in 4 *distinct.* 36 *quaest. unic. art. 5* tenent communiter Doctores paucis exceptis. Conformiter ad hoc rem omnem explanat Benedictus XIV in citata Epistola « *Magnae Nobis* » data die 29 Junii 1748, in qua postquam exposuerit cumulativum jus esse inter Apostolicam Sedem et Judices Ordinarios locorum cognoscendi et pronuntiandi, an in facto malitia suppleat aetatem et dandi declaratorias litteras, subsumit: « *privativum* Apostolicae Sedis jus esse » concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi, qui per aetatem nondum » conjugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet, ut matrimonii contrahendi » vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem » matrimonii, quemadmodum rationis usus requiritur de jure naturali et divino, ita actualis ad » conjugalem copulam potentia de jure positivo » canonico. Romanus autem Pontifex est supra » jus canonicum. » Qua decisione vetus illa quaestio terminata est, quamvis fatendum sit dispensationes super tali impedimento rarissime concedi, et nonnisi urgentissima interveniente necessitate,

prout habet Nicolaus I *cap. 2 h. t.*, et de hac difficultate concessionis explicantur verba Gregorii XIII negantis posse Sedem Apostolicam in hoc dispensare. His vero sic dispensatis, antequam sint ad copulam potentes, non permittitur cohabitatio propter periculum incontinentiae. - Ex impedimento aetatis sic determinato sequitur matrimonium contractum ab eo, qui annos pubertatis excessit, esse validum, etsi nondum cum foemina carnaliter commiseri valeat, cum jus ecclesiasticum aetatem constituerit, quam is jam adeptus est, et actualis potentia ad validitatem matrimonii jure naturali non requiratur.

6.º Ex *cap. ult. h. t.* et ex *cap. unic. h. t. in VI* receptum erat, ut si inter impuberes fuisset initum matrimonium de praesenti, si hoc non valebat ratione conjugii, obstante impedimento aetatis, valeret tamen ut sponsalia de futuro, invocato principio: « actus valet, ut potest valere non sicut agitur. » Id etiam valere post Tridentinum Concilium eo casu quo impuberes matrimonium clandestine contrahunt tenent Perez, Sanchez et Garcia apud Gonzalez in *Commentar. ad cap. ult. h. t. num. 5*, quia Tridentinum dumtaxat veris matrimoniis clandestine celebratis formam praescripsit ac restitit, non iis, quae pro sponsalibus habentur, et declarasse S. Congregationem Concilii in *una Viterbiensi mensis Julii 1587* refert Panimollus *decis. 123, adnot. II, num. 12* nempe: « id pendere ex dispositione juris communis, quod

quantum ad hunc casum nihil prorsus correxit aut immutavit Concilium Tridentinum. » At illius principii applicatio habet locum tantum in hoc casu, non vero in aliis matrimoniis a puberibus clandestine contractis, quae ut docet Gonzalez *loc. cit.* cum communi Doctorum nec pro sponsalibus de futuro habentur, sed prorsus inutilia sunt. Verum sponsalia haec non transeunt post Tridentinum in matrimonium de praesenti, si accedat copula, at adveniente pubertate debet habere locum consensus de praesenti observatâ formâ praescriptâ a Tridentino. Imo declaravit S. Congregatio die 10 Martii 1583 apud Panimollum *loc. cit. num. 13* si vellent contrahere matrimonium eos debere servare formam Tridentini, etiamsi hanc prima vice servassent.

TITULUS III.

De clandestina desponsatione.

1.º Antiquissimus modus ab Ecclesia praescriptus celebrandi matrimonia fidelium fuit cum benedictione Sacerdotis in conspectu communitatis; unde veteres canones clamant omnes homines laicos tam nobiles quam ignobiles debere facere nuptias publicas, ut habet Concilium Varnense sub Stephano III *can. 15*, et in *cap. 2 h. t. in 2 collect.* legitur: « Nullus fidelis cujuscumque conditionis occulte faciat nuptias, sed benedictione accepta nubat in Domino: si ergo Sacerdos tales nuptias benedixisse occulte inventus fuerit, triennio suo officio suspendatur. » Quae prohibitio fuit confirmata in *cap. 3 h. t.* Rationes istius providae constitutionis evidentissimae sunt; nam consulitur ex una parte bonis moribus communitatis, quae

dignoscit quaenam maritales conjunctiones legitimae sunt: nec in unaquaque timet latere concubinatum; ex altera prospicitur bono conjugum, quorum tuendis juribus requisitus iudex ecclesiasticus efficaciter potest intervenire, cum è converso, ut habetur *cap. 2 h. t.* « si matrimonia » ita occulte contrahuntur, quod exinde legitimi » testes non appareant, ii qui ea contrahunt, ab » Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi. » Hanc vero matrimonii celebrationem ex antiquissimo pariter more praecedebat presbyterorum investigatio, utrum aliquod impedimentum obsteret: quae cautela ad evitanda illegitima conjugia aucta fuit in Concilio Lateranensi IV, in quo specialem quorundam locorum (praesertim Galliae et in primis Dioecesis Parisiensis auctore Archiepiscopo Odone de Soliaco) consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statutum est, ut cum matrimonia fuissent contrahenda in Ecclesiis per presbyteros publice proponerentur competenti termino praefinito, ut intra illum qui vellet et valeret legitimum impedimentum opponeret, et interim presbyteri ab investigatione non cessarent.

2.º Gravissimae poenae fuerunt propositae contra violatores istarum praescriptionum, prout ex citatis canonibus compertum est. At ista manserunt sub categoria impedimentorum impediendum, quibus scilicet non observatis matrimonia inita erant illicita, sed tamen valida. Hinc validum habitum est matrimonium praesumptum ex

cap. 30 de sponsal., sicut validum habitum est matrimonium ita occulte contractum, ut nullae ejus essent probationes, quando personae contractantium illud voluissent publicare, nisi aliud impedimentum obstitisset, ut ex *cap. 2 h. t.* Imo Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 1 de reform. matrim.* postquam asseruit sanctam Dei Ecclesiam ex justissimis causis detestatam semper esse matrimonia clandestina atque ea prohibuisse, deinde docet dubitandum non esse haec clandestina matrimonia libero contractantium consensu facta rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia Dei ea irrita non fecit, et eos anathemate damnavit qui ea vera et rata esse negarent. Animadvertens autem S. Synodus prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendens, quae ex clandestinis conjugis ortum habebant, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanebant, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contraherent et cum ea in perpetuo adulterio viverent, cui malo ab Ecclesia, quae de occultis non judicat, succurri non poterat, statuit aliquod efficacius remedium adhibere, quod eo decreto praestitit. Innovata proinde dispositione *cap. 3 h. t.* de faciendis denuntiationibus deinde formam substantialem matrimonio proposuit. Et quoniam quae spectant ad clandestinitatis impedimentum omnia in Ecclesia juxta hoc decretum

ordinantur, hinc putamus cuncta exponere per partes illud explanando.

3.º In enunciato decreto Concilium Tridentinum instat pro praemittendis matrimonio denunciationibus. Et istae quidem faciendae sunt *tribus vicibus* diebus festivis inter Missarum solemnias a proprio sponsorum parochis, et si sponsi sint diversarum parochiarum ab utroque parochis: imo non solum a parochis domiciliis sed etiam originis, nisi in loco domiciliis mora contrahentium fuerit continua per plures annos. Quae omnia expressis decisionibus S. Congregationis firmiter relatis a Giraldi *oper. cit. part. 2 sect. 114*. Dispensatio autem a lege denuntiationum a Concilio Tridentino relinquitur prudenti arbitrio Ordinarii, qui ex causa sibi bene visa poterit eas remittere, etsi fuerit alia causa, quam ea quae a Concilio expressa fuit, dummodo aequae gravis vel gravior, prout tenuit S. Congregatio *in Novarien.*, et refertur *in lib. 2 Decretor. pag. 73*. Qui pariter Ordinarius valet in totum remittere, vel quoad singulas vices, vel constituere ut fiant ante vel post celebratum matrimonium ante consumationem, prout etiam sinere ut fiant diebus festivis in vesperis, aut etiam diebus ferialibus. Nomine autem Ordinarii non solum venit Episcopus, sed et Praelatus vere *Nullius*, quin imo et Vicarius generalis, nisi expresse id fuerit ei interdictum. Quando autem sponsi sunt diversa-

rum dioecesium non sufficit unius Ordinarii dispensatio, sed necesse est, ut et alius remittat, nisi testetur de statu libero sui dioecesani. Quae pariter omnia disertis decisionibus S. Congregationis firmiter relatis a Giraldi *op. et sect. cit.* Ratio, propter quam inducta est lex denuntiationum ea est, ut dignoscatur an adsint impedimenta, quae futuro matrimonio obstant; hinc intelligitur quemque de populo scientem aliquod impedimentum teneri illud revelare *sub gravi*, dummodo id fieri possit absque magno incommodo suo et damno; quod a Doctoribus multiplici ratione ostenditur. Hinc illa verba *cap. 3 h. t.* « *qui voluerit et valuerit* » a glossa in eo capite exponuntur hoc modo, quod quisque de populo admittatur ad revelandum impedimentum, ad quod faciendum tenetur, nisi graviter ex hoc laedatur, tunc enim potest jure reputari quod non valeat id praestare. Poenas, quibus puniri possunt tam Parochus adsistens, quam contrahentes matrimonium non praemissis denuntiationibus, ac etiam testes dolose illi praesentiam impendentes refert Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 12 cap. 6 num. 2*, ubi notat quod poena contra parochum est quidem ferendae sententiae, sed cum ab Episcopo lata est, eam non valet per successivam absolutionem aut in totum dimittere aut pro parte quia tempus a jure est determinatum, licet pro applicatione ministerium Ordinarii exigat. At si non fuerit observata lex denuntiationum matrimo-

nium deinde contractum quamvis illicite ininitum, tamen est valide celebratum, nisi aliud obstet impedimentum, et proles ex hoc enata habenda est ut legitima. At filii nati ex matrimonio non praemissis denuntiationibus celebrato, quod ex latente impedimento etiam a partibus ignorato fuerit invalidum, sunt illegitimi de parentum ignorantia nullum habituri subsidium, cum illi taliter contrahendo, non tam expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur, prout dicitur *cap. 3 h. t.*

4.° Ulterius progressum est in citato Decreto Concilium Tridentinum, siquidem ex expositis rationibus formam dedit substantialem conjugio christianorum sub verbis: « Qui aliter, quam praesente paroco, vel alio sacerdote de ipsius parochi aut Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentaverint, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. » Post quod decretum non quisque consensus personarum vel verbis vel actibus manifestatus, sed tantum consensus legitimarum personarum editus coram illis designatis personis constituit matrimonium, et aliter datus consensus est *informis* proinde invalidus, quia forma est substantialis: et non solum non habetur sacramentum; sed nec contractus, qui irritus et nullus est prout eo decreto Conci-

lium illum facit irritum et annullat. In vim proinde decreti illius matrimonium antiquum dictum *praesumptum*, de quo agitur *cap. 30 de sponsal.* sublatum est, et matrimonium clandestinum pariter desiit esse ratum et validum, quia Sancta Dei Ecclesia illud irritum fecit hoc decreto. Ut autem hoc impedimentum dirimens clandestinitatis ex forma respiceret quoque legitimitatem personarum juxta quem respectum tantum possunt procedere impedimenta, ideo Sancta Synodus illa locutione usa est, quod inhabiles omnino redderet personas ad aliter contrahendum matrimonium, quam sub forma praescripta. Quo ex decreto Concilii nullo modo infertur parochum esse sacramenti matrimonii ministrum; quin imo sententia contraria hodie velut certa teneri potest, praesertim ex eo quod nequeat dubitari matrimonium non posse inter baptizatos in facto subsistere ratione contractus, nisi quoque subsistat in ratione sacramenti. - Aliqua nunc dicenda sunt de Persona Parochi, deque ejus adsistentia sicut de delegato ab ipso vel ab Ordinario. Parochus debet esse proprius contrahentium aut alterutrius istorum, exceptis vagis, quorum parochus proprius quoad adsistentiam matrimonii est ille, in cujus parochia actu commorantur et quoad eos servandum est quod statuitur ab eodem Concilio Tridentino *sess. 24 cap. 7 de reform. matrim.* Sufficit autem ut unus ex contrahentibus sit vagus ad hoc ut parochus loci in quo actu commorantur, possit matrimonio ad-

sistere valide. Nec videtur praeferenda Sanchez sententia, qui putat quemque parochum posse vatorum matrimonio adesse etsi in ejus parochia actu non commorentur. Proprius vero parochus dicitur ille, in cujus parochia quis habet domicilium, non vero parochus originis, prout pluries decisit S. Concilii Congregatio, praesertim in *Mutinesi Matrimonii diei 18 Novembr. 1701*. Quis sit parochus domicilii statim intelligitur, cum domicilium quis ibi habere dicatur, ubi habitat cum voluntate eo loco perpetuo manendi. Et cum jure canonico quis possit plusquam unum domicilium verum habere habitationis, hinc coram utrolibet parochi matrimonio indistincte contrahere valet, ceu communiter censent Doctores cum Sanchez *De matrim. lib. 3 dist. 24 num. 2 ex cap. 2 de sepult. in VI*, etiamsi convenientius sit matrimonium fieri coram eo parochi in cujus parochia quis degit tempore celebrationis matrimonii. At quaestio apud Doctores est circa parochum quasi domicilii, cum praesertim quoad matrimonium ipsi non convenient in conceptu quasi-domicilii. Major Auctorum numerus quasi-domicilii sequentem dat definitionem: « habitatio in aliquo loco cum intentione ibi manendi per majorem anni partem, aut saltem per semestre. » Hanc retinent inter caeteros Gonzalez in *cap. 3 h. t.* Reifensuel *h. t. num. 60*, Schmalzgrueber *num. 150*, Pirhing *n. 19*, Piehler *num. 18*, Ergel *num. 12*, Sanchez *de matrim. lib. 3 disput. 23 num. 12*,

Lessius *de justit. et jure lib. 2 cap. 40 dub. 18 num. 121*, Benedictus XIV *Resol. S. C. Conc. in Jadren. 24 Aug. 1720* aliique plures. Et hanc intentionem dicunt isti Auctores revelari posse etiam per indolem negotiorum quae geruntur, ut puta ex ratione studiorum, officii publici vel famulatus, aut etiam ex necessitate, puta ex relegatione aut condemnatione, proinde hoc manendi propositum per majorem anni partem vel est voluntarium vel necessarium. È contra Fagnanus cum aliquibus tenet eum contrahere quasi-domicilium ex habitatione in aliquo loco dummodo sit ex causa, quae brevi non expediatur, seu ut statim non sit ad proprium domicilium ipse reversurus, licet haec causa non attingat majorem anni partem vel etiam semestre in *cap. significavit de paroch. et alien. parochian.* Tandem nonnulli Doctores putant post Constitutionem Benedicti XIV « *Paucis ab hinc* » *diei 19 Martii 1758* moram seu habitationem unius mensis in aliquo loco sufficere ad inducendum quasi-domicilium, quin debeat haberi ratio intentionis manendi vel pro majori anni parte, vel ex causa non brevi duratura. Hanc ultimam excludi opinionem, qua attenditur ad materialem moram mensis, quin habeatur ratio intentionis manendi in loco aut per majorem anni partem aut saltem ex causa, quae brevi tempore non deficiat, nec ullo pacto esse recipiendam satis superque deducitur - 1° ex hoc quod Benedictus XIV in ea Epistola non pu-

tavit aliquid esse innovandum et S. Congregatio Concilii in decisionibus relatis a Giraldi *op. cit. part. 2 sect. 115* constanter tenuit, non posse valide celebrari matrimonium coram Parocho loci ubi quis causa rusticationis, aut valetudinis recuperandae, aut rei familiaris negotia tractandi degit, quia ut habet Rota Romana apud Sanchez *op. et lib. cit. disp. 25 num. 12*: « *probatum est contrahentes non solere esse ruri majore anni parte neque etiam pro dimidia, sed tantum per tres vel quatuor menses* » - 2° ex hoc quod in Instructione missa ad Episcopos Angliae et Americae septentrionalis ex decreto S. Officii *die 24 Martii 1867* declaratum aperte est: « In Constitutione Benedicti XIV « *Paucis ab hinc* » nullo pacto ejusmodi tempus (acquirendi quasi domicilii) coarctatum fuisse ad unum mensem. » Inter duas autem alias sententias mihi videtur praeferenda esse prima ex hoc - (a) quia in citata Instructione S. Officii aperte declaratur tempus legitimum ad quasi domicilium acquirendum esse majorem sive dimidiam anni partem, deinde - (b) quia sententia Fagnani, quatenus primae opponitur, non habet solidum fundamentum, cum ut advertunt Doctores eam defendentes non est necessarium tempus semestris debere praeterlabi, antequam matrimonium celebretur, sed potest post aliquam moram etiam brevem matrimonium iniri coram parocho loci, in quo quis moratur cum intentione ibi manendi per majorem aut saltem dimidiam anni partem;

et tunc nihil probant illa S. Congregationis responsa ad defendendam opinionem Fagnani in oppositione ad aliam.

5.° At haec cum ita sint, quomodo explicatur responsio data in cit. Epistola « *Paucis ab hinc* » a Benedicto XIV, quae videtur nostrae theoriae opposita? Propositae enim quaestioni « quid nam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum? » Pontifex respondet: « In hac re nullo alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis, ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur » deinde subsumit se nihil addere de necessitate subsequentis habitationis quam magni momenti adminiculum faciunt Doctores et de qua nihil a decisionibus Congregationis Concilii dictum est, quia non vult hac de re quidquam novi decernere. Libenter sequor in hoc nonnullorum nuperorum Doctorum sententiam, qui tenent Benedictum XIV assignasse in ea Epistola spatium *unius elapsi* mensis non ad definiendum et coarctandum legitimum quasi domicilii tempus, sed ad suppeditandum Parocho et judici *juridicae praesumptionis argumentum in aliquo casu*; et Parocho quidem ut tuta conscientia intersit matrimonio contrahendo; judici vero, ut de celebrati matrimonii validitate sententiam ferat. Dixi *in aliquo casu*. Nam posita definitione quasi domicilii quod sit « habitatio in loco cum intentione ibi manendi per majorem aut saltem per dimidiam anni partem »

possunt evenire sequentes casus, nempe: - 1° quod constet de intentione manendi per illud tempus a jure statutum, ut in juvenibus pergentibus ad universitates causa cursus studiorum, in publicis officialibus ad provincias regendas destinatis, in famulis, et in damnatis ad carceres etc. - 2° quod constet de voluntate contraria, nempe manendi in eo loco per breve tantum tempus, aut quod non adaequet majorem anni partem, aut semestre. - 3° quod occulta maneant contrahentis voluntas permanendi in loco matrimonii toto tempore necessario ad acquirendum quasi-domicilium. Profecto si primus casus interveniat certum apud omnes est, quasi-domicilium contrahi etiam a primo die habitationis, et cum Natali Alexandro *Theologia Dogmat. et Moral. lib. 2 de Matrim. cap. 2 art. 2 regul. 6* advertit in laudata Epistola Benedictus XIV posse contrahi matrimonium, si tanto tempore eo in loco ubi copulantur, contrahentes fuerint comorati, ut ibidem jam cogniti sint atque perspecti. Si secundus casus autem interveniat, matrimonium ibi celebratum numquam habetur ut validum, nisi *sex habitationis menses* fuerint praeterlapsi; tunc enim, cum tempus habitationis in quasi-domicilio sit definitum, nempe major anni pars aut semestre, quando hoc expletum est, quasi-domicilium est jam contractum (secus ac est in domicilio, in quo tempus est *indefinitum*, hoc est *perpetuum*, saltem in animo seu in proposito habitantis). In tertio casu aptatur *regula mensis*

proposita a Benedicto XIV, nam si mensis habitationis fuerit elapsus, tunc praesumi jure potest, quod quis habeat intentionem manendi per tempus a jure statutum; proinde poterit permitti matrimonium celebrandum a Parocho, et judex de matrimonio jam celebrato poterit decidere, quod sit validum. Quae praesumptio juris non est, si mensis habitationis non fuerit completus. At haec praesumptio juris cedit veritati; proinde si fuerit deinceps recognitum, quod animus producendae comorationis non extendatur ad majorem anni partem, vel saltem ad semestre, matrimonium contractum censendum est invalidum. - Animadvertendum est legem domicilii respectu validitatis matrimonii non vigere ubicumque non viget lex Tridentina de clandestinitate, sive illi, qui in eum locum se conferunt, veniant e loco a Decreto Tridentino pariter immuni, sive etiam è loco eidem subjecto sed *absque fraude*, hoc est non intuitu matrimonii simpliciter conciliandi. De his enim, qui intuitu matrimonii patria sua Tridentina lege affecta in locum ab ea immunem transeunt aut accedunt, exceptio facta est per celebre Urbani VIII decretum, quod incipit « *Exponi nobis* » datum die 14 Augusti 1627 relatum a Benedicto XIV post Epistolam « *Paucis abhinc* »; quo decreto illi adiguntur ad quasi domicilium in loco, per quem transeunt, vel ad quem accedunt acquirendum, ut valide contrahere matrimonium possint: quae tamen lex non respicit vagos, qui in matrimonio

conciliando tenentur quoad validitatem servare leges loci in quo matrimonium ineunt. - De aliis casibus, qui respiciunt Parochum quasi domicilii quoad matrimonii celebrationem, videndus est Benedictus XIV in *Institutione Ecclesiastica* 33 et Giraldi *op. et part. cit. sect.* 115. Notandum est hac etiam in re haberi hodie oppositionem inter praeceptum legis canonicae et civilis, dum enim ut diximus lex canonica in quasi domicilio duo elementa agnoscit, nempe habitationem et animum eam perducendi ad sex menses, leges civiles pro hoc quasi domicilio ad matrimonium non admittunt nisi habitationem ad aliquod tempus jam protractam, quod juxta diversas nationes est majus vel minus, dum enim ex. gr. pro Gallia tempus hoc est *sex mensium* habitationis realiter exactorum, pro Anglia sunt *tres hebdomadae* habitationis jam expletae; sed Ecclesia usque adhuc non respexit ad diversas has civiles leges, sed in canonico conceptu quasi-domicilii institit. - Valet autem matrimonium coram Parocho proprio etsi non sit Sacerdos sed sola prima tonsura initiatus, licet non fuerit intra annum ad Sacerdotium promotus. Item coram Parocho, cujus provisio nulla praetenditur defectu Examinatorum Synodaliu, sicut coram Parocho notorie fornicario et suspenso vel prohibito, non vero coram Parocho publice haeretico. Pariter valet actum coram Episcopo vel coram Vicario Generali. Sicut pariter coram deputato Sacerdote ab Episcopo, vel Vicario Generali vel a Parocho.

Item contractum coram Parocho de mandato Episcopi vel Vicarii Generalis, licet isti putarent eum esse Parochum proprium contrahentium, qui revera talis non erat. Pariter coram coadjutore Parocho deputato in genere ad sacramenta administranda. Demum sufficit pro adsistentia valida Sacerdotis licentia *tacita* Parocho praesentis, pariter licentia metu extorta, ignorata vero licentia seu deputatio non valet; quae omnia probantur a Giraldi *loc. cit.* appositis decisionibus S. Congregationis Concilii. Quoad adsistentiam autem Parocho et testium retinendum est, eos debere esse physice praesentes, et intelligere quid agatur, nisi affectent non intelligere: non autem requiri, ut Parochus antea certioratus sit, vel expresse vocatus, aut interponat suam auctoritatem actu vel dicto; est enim Parochus testis qualificatus, licet deceat eum benedicere conjugium et alia praestare, quae a Rituali exhibentur, quemadmodum non requiritur ut testes sint rogati nec obest si sint coacti, ut etiam Parochus, prout decisum legitur in *lib. 3 decretorum S. Congregationis pag.* 59. In reliquis consulantur Resolutiones S. Congr. Concilii apud Richter *Canones et Decreta Conc. Trid. sess.* 24.

6.º Quamvis autem Ecclesia statuerit in Concilio Tridentino substantialem formam matrimonii, non recessit autem ab alia antiquissima lege, ut talia matrimonia celebrarentur publice, seu ut dicitur in facie Ecclesiae; ex quo tamen non sequitur omnino disparuisse illa, quae matrimonia *occulta*

aut *conscientiae* dicebantur. Hodie matrimonia occulta vel conscientiae ea appellantur, quae in iuxta formam Tridentini nempe coram Parocho et duobus vel tribus confidentibus testibus, non tamen subjiciuntur praeviis denuntiationibus, neque in communi libro notantur, in quo Parochi solent ex Tridentini praescripto alia matrimonia describere cum nominibus conjugum et testium, sed in secretiori libro recensentur in Curia Episcopali servando, et super quibus matrimoniis altum imponitur silentium, ita ut communitati non sint revelata: de quibus habemus constitutionem Benedicti XIV « *Satis vobis* » de die 17 Novembris 1741. In ea Pontifex principio docet talia occulta matrimonia non esse indiscriminatim permittenda propter gravia mala, quae ex hac clandestinitate solent advenire, quae describit. At quoniam aliquando urgentes existere valent causae, ex quibus locorum Antistites cogantur ad ea permittenda hinc eos adhortatur, ut eas causas expendant, antequam sinant matrimonia occulta fieri. De modo deinde loquitur peragendi matrimonii et secreti servandi; quam tamen obligationem eo usque esse retinendam docet, quousque conjuges assumptis muneribus satisfaciant. Istae obligationes pro diversis tamen casibus respiciunt bonum spirituale prolis quoad baptismum ejusque catholicam educationem, nec non sollicitam curam de tutanda ejus legitimitate; aut respiciunt cujuscumque scandali remotionem quoad communitatem,

siquidem eam latere debeat talis matrimonii contractus. - De permittendo hoc secreto conjugio, quando nequit iniri matrimonium civile coram officiali status pertractat jam adducta Instructio S. Poenitentiariae, quemadmodum Doctores loquuntur de modo in iis matrimoniis servando ad removendum pariter quodcumque populi scandalum.

7.º Haec autem omnia quae diximus dependent a promulgatione decreti hujus, quam Concilium Tridentinum voluit esse prorsus singularem. In fine siquidem illius capituli, postquam praecepit omnibus locorum Ordinariis, ut curarent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum dioecesium parochialibus ecclesiis in primo anno quam saepissime, et deinde quoties expedire viderint, concludit: « Decernit insuper, ut hujus » modi decretum in unaquaque parochia suum » robur post triginta dies habere incipiat a die » primae publicationis in eadem parochia factae » numerandos. » Ergo ad obligandum requiritur, ut publicatio fiat in unaquaque parochia, et effectus in ea habeat post spatium triginta dierum numerandorum a prima publicatione ibi facta. Quae publicatio facta esse debet praecise vel tamquam decreti Concilii Tridentini, aut saltem ut Concilii generalis, vel nomine et auctoritate Romani Pontificis, ut fuse explicat Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 12 cap. 5 num. 6 et seqq.* Ad quam promulgationem comprobendam sufficere diuturnam observantiam ejusdem Conciliaris

decreti, cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in paroeciis coram Parocho ac duobus testibus celebrata fuerunt, a Congregatione Concilii fuisse decisum refert Benedictus XIV in cit. Epistola decretali « *Paucis ab hinc* » penult. paragr. At quoniam in aliquibus locis in paroecias non est divisa dioecesis, imò nec dioeceses vere constitutae sunt, sed habentur Vicariatus Apostolici, quid censendum erit de illa in singulis paroeciis promulgatione? Profecto putarem nomen paroeciae in casu sumptum esse in sensu lato, ut quosvis districtus comprehendat, aut ecclesias, quibus presbyter constitutus est pastor populi et Missionarius curam ejus habet; etsi vix est quod casus verificetur, quo in illis regionibus Concilii decretum fuerit promulgatum. Post eam promulgationem autem et elapso tempore praescripto baptizatorum matrimonia erunt invalida, si forma Tridentini non fuerit observata. Neque suffragatur ignorantia, licet enim haec a peccato excuset, non potest tamen ea supplere defectui solemnitatis et formae substantialis ad actum requisitae. Una tantum excusat causa, nempe cum talis solemnitatis observatio est vel physice vel moraliter impossibilis observatu. Hujus impossibilitatis exempla refert Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 12 cap. 5 num. 5*, Litterae Pii VI *diei 22 Aprilis 1795*, et declaratio S. Officii apud Vecchiotti *Institutiones Canonicae tom. 3 de impedim. matrim. § 106*. Notandum tamen

est, quod si praesentia parochi est physice vel moraliter impossibilis, non tamen eximuntur nupturientes ab adhibenda praesentia duorum testium cum Pius VI in *Brevi ad Episcopum Genevensem diei 5 Septembris 1795* edixerit, quod: « quoties » duo saltem testes minime adfuerint (in talibus » conjugii quibus nequit parochus adsistere ob » relatas rationes) matrimonia sint invalida, et » quatenus fieri possit, revalidanda. »

8.º At hac lege clandestinitatis vetitae matrimonii sicut obligantur catholici, ita et haeretici tenebuntur, ut ipsorum conjugia clandestina retinenda sint invalida, si inita fuerint in loco, ubi praedictum decretum est promulgatum? Proinde quid tenendum est de matrimoniis ab haereticis inter se celebratis vel ab uno ipsorum cum parte catholica, quae dicuntur matrimonia mixta, quae in talibus regionibus adveniant ubi hoc Tridentini decretum est publicatum? Quibus quaestionibus ut congrua detur responsio sequentia sunt animadvertenda: - (a) Hic non quaeri an haeretici exempti sint ab observantia talis legis *per se*, sed tantum an Ecclesia eos voluerit eximere vel potius obligare: cum enim ipsi per baptismum Ecclesiae legibus subdantur, et baptismus semel receptus semper perseveret, si *per se* Ecclesiae legi non subderentur, ipsi ex sua nequitia emolumentum haberent, quod non est ullo modo admittendum, prout *Titulo Primo* est expositum. - (b) Ecclesiam autem in Tridentino Con-

cilio habuisse aliquem respectum ad haereticorum conditionem, cum specialissimam illam publicationem induxerit habita ratione ad haereticos. Cum enim in Concilio P. Lainez observasset haereticos non recepturos hanc legem, ex quo infinita adulteria erant eventura et gravis confusio futura quoad legitimas successiones, Concilium definivit legem hanc ex publica utilitate inducendam, ita esse temperandam, ut dum ex una parte dictae publicae utilitati prospiceretur, ex altera hoc grave dispendium eliminaretur, quod putavit Concilium eliminatum iri, si exigeretur haec publicatio in unaquaque parocia; dum enim lex publicabatur in locis, quae vel catholici exclusive incolebant, vel in quibus catholici potiores partes habebant, ea publicanda non praevidebatur in locis ab haereticis aut exclusive aut principaliter occupatis; atque hoc modo prima promulgatio facta est. At progressu temporis evenit ut plura ex locis, in quibus promulgatio facta jam erat, invaderentur ab haereticis, vel in iis potiores partes haberent; insuper post pacem Vestphalicam recognitis haereticis exemptis a jurisdictione ecclesiastica Episcoporum catholicorum, illud dispendium coepit in facto verificari, quod praeviderat Lainez in Concilio Tridentino, et quod a Patribus tanti aestimatum fuit, ut illud esse omnino declinandum censuerint. - (c) Ex quo concludere licet, quod cum Ecclesia noluerit haereticos positive et directe eximere ab observatione illius decreti, quod

maxime ad bonum commune conferebat, isti censeantur obstricti hac lege in locis, ubi Decretum promulgatum est; et de uno *tantum* casu quaeri potest, et dubitari, scilicet quando Decretum Tridentini est publicatum in regione, quae deinde occupatur ab haereticis, aut in qua haeretici societatem religiosam proprie dictam efformant omnino a societate catholicorum distinctam. Hinc est, quod circa haereticos vagantes inter catholicos aut alibi consistentes sed nondum efformantes hanc distinctam societatem Romanae Congregationes requisitae de valore matrimoniorum ab ipsis contractorum contra formam Tridentini, si in loco fuerat decretum promulgatum, constanter responderunt pro eorum invaliditate. Quamvis autem istae decisiones videantur loqui de omnibus matrimoniis haereticorum clandestinis, nihilominus certum est eas non esse sumendas *generatim et universim* sed secundum circumstantias temporis, loci, atque aliorum adjunctorum cujuscumque casus, ut constat ex Decretali Benedicti XIV « *Matrimonia* » diei 4 Novembris 1741, et ex constitutione « *Singulari* » diei 9 Februarii 1749 § 17. - (d) De hoc casu non contemplato in praedictis decisionibus agit Benedictus XIV in citata Decretali, in qua manente pro catholicis obligatione a Concilio Tridentino imposita in suis matrimoniis servandi formam substantialem sub poena nullitatis actus ob factam publicationem decreti, declarat - 1° « *Matrimonia* in Foederatis Belgii provinciis inter hae-

» reticos usque modo contracta, quaeque in posterum contrahentur, etiamsi forma a Tridentino praescripta non fuerit in iis celebrandis servata, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse. » - 2° Quoad matrimonia pariter, quae in illis provinciis inter partem catholicam et haeticam non servata forma Tridentini jam contracta, vel quae in posterum contrahi contingat, declarat: « Matrimonia hujusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, valida habenda esse, et neutrum ex conjugibus, donec alter eorum supervixerit, ulla tenus posse, sub obtentu dictae formae non servatae, novum matrimonium inire. » Post quas duas declarationes concludit Pontifex: « Circa conjugia, quae contrahuntur vel in Regionibus Principum Catholicorum ab iis, qui in Provinciis Foederatis domicilium habent, vel in Foederatis Provinciis ab habentibus domicilium in Regionibus Catholicorum Principum nihil Sanctissimas Sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit, volens ut de iis juxta canonica juris communis principia probatasque in similibus casibus alias editas a Sacra Congregatione Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur. » - (e) Haec autem Decretalis etsi edita sit *ad modum et sub specie declarationis*, non est tamen simplex declaratio, sed *decretum sub forma declarationis*; idque eruitur: - 1° ex eo quod Pontifex dicat expresse se *declarare et statuere*,

et hujus decreti edendi rationes erant *ad consulendum universis Fidelibus in illis locis degentibus, et plura avertenda gravissima incommoda*, - 2° ex eo quod in illo decreto et declaratione includebantur illi casus peculiare, super quibus S. Congregatio Concilii jam ab antiquo consulta responderat pro eorum matrimoniorum invaliditate, aut saltem ita sensisse visa est, prout patet ex *Boscodunen. Matrimonii diei 13 Februarii 1683*, in qua S. Congregatio respondit: « Ad mentem cum Sanctissimo: scilicet si esset respondendum, respondendum esset negative, » sicut in responsione *ad tertium dubium* responderat jam clarius *die 26 Septembr. 1602* apud Cardinalem Petram *Commentar. tom. 4 ad Constitut. 12 Joannis XXII num. 20*, quae post declarationem Benedictinam debuerunt considerari in omnibus suis effectibus ut matrimonia valida etiam respectu legitimitatis filiorum. Neque inter haec decreta habebatur ulla proprie dicta oppositio, quia in prioribus casibus ratio decisionis fundabatur in circumstantiis uniuscujusque casus; et ratio Decretalis Benedictinae erat universalis, nempe boni publici fidelium, hinc decretum et declaratio sese habebat ad infelicem illius populi conditionem sub jugo haeticorum. Unde jure poterat dicere Benedictus XIV in *Constitut. « Singulari »* cit. hunc casum generalem adhuc expensum non esse, - 3° ex eo quod Benedictina declaratio dicta est non posse ad alias regiones extendi, nisi ex speciali venia Apostolicae Sedis;

quae cautio sicut congruam suscipit explicationem in sensu a nobis indicato decreti sub forma declarationis, ita difficulter exponitur, si quis insistat in sensu simplicis declarationis. Quae si ratio decreti sub forma declarationis suscipiatur, facile pariter intelligitur, cur nam in ea Decretali pari modo statuatur et de matrimoniis ab haereticis inter se initis, et de matrimoniis mixtis. Si enim attendamus rationes, propter quas edita est haec Decretalis, eae militabant non minus pro matrimoniis haereticorum inter se, quam pro matrimoniis mixtis, nisi admittere velimus plus urgere pro mixtis. Referebant enim Vicarii Apostolici in Hollandia et Episcopi Belgarum se maxime premi ab haereticis in illis statibus Foederatis gubernantibus praesertim circa matrimonia mixta; cum prohiberent ne talia matrimonia fierent coram paroco catholico, aut coram eo renovarentur statutis gravissimis poenis; quod pariter prohibebant in matrimoniis haereticorum, quando una pars ad catholica sacra converteretur, ut est apud Cardinalem Petra *loc. cit. num. 25*, et casus de matrimoniis mixtis erant frequentiores. Ex altera vero parte, cum inhabilitas non esset ex aliqua qualitate personarum, ut puta ex ordine majore suscepto vel ex edita solemnii professione religiosa, sed ex forma contractus non observata, jure poterat invocari principium, quod innuit Benedictus XIV *de Synod. dioec. lib. 6 cap. 6 num. 12*, « Cum conjugum » alter exemptus sit a Tridentinae Synodi lege,

» exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet propter individualitatem contractus, vi cujus exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram secundum etiam leges civiles extenditur, eidemque communicatur. » Hinc asserta et declarata per decretum haereticae partis exemptione, debebat haec exemptio verificari quoque in matrimoniis mixtis, seu extendi in casu ad partem catholicam. Quod principium fuit admissum, ut habet Benedictus XIV *loc. cit.*, ab omnibus, qui in Congregatione convenerant; et non fuit a Benedicto XIV haustum a Van-Espenno, quamquam apud hunc quoque reperiatur, sed apud Doctores catholicos jamdiu vigebat, inter quos citatur Engel *h. t. num. 20 vers. dico II*. Quin imo praxis canonica habet, etiam in aliis casibus libertatem unius partis aut exemptionem a decreto Tridentini prodesse alteri parti; sicut verificatur, si una pars vaga sit, quod valeat matrimonium ab ea celebratum in loco exempto absque adhibitione formae Tridentini non acquisito quoque quasi-domicilio etsi altera pars veniat ex loco, ubi Tridentini decretum est promulgatum. Cui addimus aliud exemplum in casu expenso et deciso a Suprema Congregatione S. Officii, quae sub *die 8 Februarii 1860* ad postulatam Officialis Mechliniensis decisit Hollandam mulierem valide contrahere in Anglia extra formam Tridentinam cum viro catholico legi Concilii Tridentini alias obstricto sine ullo domicilio vel quasi-domicilio

in Anglia acquisito. - (f) Verum quoniam, ut dictum est, haec decretalis edita fuit tantummodo pro foederatis Statibus Hollandiae et Belgii, neque ad alias regiones valet extendi, etiamsi pro iis locis militent validiores rationes, nisi haec extensio fiat ex expressa venia S. Sedis; hinc est quod de hoc casu generali quaestio adhuc non est undequaque resoluta. Unde quoad praxim evenit, quod petatur ab Episcopis praesertim constitutis sub gubernio etherodoxorum et aliquando etiam in regnis maxima ex parte catholicis, ut S. Sedes extendat Benedictinam Decretalem; quam extensionem aliquando elargitur, ut patet ex pluribus concessionibus, quae referuntur a Cl. Vecchiotti *op. et part. cit. cap. 13 § 107*. In quibus concessionibus id est advertendum, quod eae fiant pro regionibus, in quibus haeretici constituunt societatem perfectam religiosam cum suis ministris, templis etc., et eorum jura sunt recognita a guberniis civilibus, quamquam non sit haec causa concessionis, sed potius devitatio gravissimorum malorum, quae absque hac concessione imminerent fidelibus in illis regionibus existentibus; nam ubi haec ratio non suppetit, quamquam sint paria jura civilia haeticorum et catholicorum, et utriusque sint in perfecta societate constituti, ut in Gallia, talis extensio non conceditur. In aliis vero regionibus, in quibus Concilii promulgatio lata est, et non extensa Decretalis Benedictina, matrimonia sive ab haeticis inter se, sive cum catholicis inita

spretâ Tridentini formâ generaliter loquendo judicantur a Congregationibus Romanis invalida quamquam fatendum sit S. Sedem pluries prudenti aeternitate voluisse conversos haeticos de sui conjugii validitate non dubitantes in bona fide esse relinquendos, vel si scrupulis agerentur, prius peculiariter esse indaganda adjuncta, quam matrimonii nullitas pronuntiaretur.

TITULUS IV.

De sponsa duorum.

1.° Cum nomine sponsae hic ea veniat tum quae contraxit sponsalia de futuro, tum matrimonium de praesenti, hinc in praesenti Titulo proponuntur et resolvuntur tres casus, in quibus concurrere potest duplex factum, ex quo oriatur vinculum, ac proinde videndum quod nam factum ac vinculum praevaleat. Triplex casus est: - 1.° concursus sponsalium de futuro, cum aliis sponsalibus de futuro. - 2.° Concursus sponsalium de futuro cum matrimonio de praesenti. - 3.° Concursus matrimonii de praesenti cum alio matrimonio de praesenti; qui casus singillatim expendendi et resolvendi sunt.

2.° Si concurrant sponsalia de futuro cum aliis sponsalibus de futuro quaenam praevalent

antiora vel posteriora? Respondendum est quod si prima sponsalia valida fuerunt, et deinde non resoluta, ea praevalent ita ut posteriorum sponsalium nulla sit obligatio et efficacia. Id arguunt unanimiter Doctores ex *cap. 31 de sponsal. et matrim.* et ratio in promptu est, quia ista posteriora sponsalia sunt promissiones illicitae, quae scilicet vergunt in detrimentum antecedentis promissionis (utraque siquidem promissio adimpleri nequit); et promissiones illicitae non tenent. Non solum ergo primis non praevalent, sed *per se* nec ullum habent valorem primis etiam quomodo-cumque resolutis, cum regula juris sit « quod ab » initio vitiosum est, non potest tractu temporis » convalescere » nisi haec postrema sponsalia sint sub conditione inita, quod prima resolvantur, et conditio fuerit adimpleta.

3.° Quid autem erit dicendum, si concurrant sponsalia de futuro cum matrimonio de praesenti? In hac porro quaestione licet duae hypotheses fingi queant, prout sponsalia de futuro sunt matrimonio de praesenti anteriora vel posteriora, non est necesse utramque hypothesim expendere; si enim sponsalia de futuro antecedentia vincuntur a matrimonio de praesenti, a fortiori praevalebit matrimonium de praesenti antecedens relate ad sponsalia de futuro subsequentia. Atqui ita est, nempe concurrentibus sponsalibus et matrimonio, hoc praevalere etsi posterius sit. Habemus expressum textum juris in *cap. 31 de sponsal. et matrim.*

per verba: « verum si inter ipsos accessit tantum- » modo promissio de futuro, utroque dicente al- » teri: ego te recipiam in meam, et ego te in meum, » sive verba similia; si alius mulierem illam per » verba de praesenti desponsaverit, etiamsi inter » ipsam et primum juramentum intervenerit, sicut » diximus, de futuro, hujusmodi desponsationis » intuitu secundum matrimonium non potuit se- » parari, sed eis est de violatione fidei poenitentia » injungenda. » Ex quo textu duo eruuntur, nempe hoc alterum matrimonium esse illicitum, sed tamen validum. Revera est illicitum, quia juri tertio quae- sito praejudicat, proinde poenitentia est de viola- tione fidei injungenda. At est validum; est enim matrimonium vinculum longe fortius, quam sint sponsalia de futuro, cum ista tribuant jus ad rem, illud vero conferat jus in re; et vinculum fortius solvit id, quod minus forte est. Cui accedit aliud principium juris, nempe: « plus esse in traditione, » quam in promissione. » Idque sustinetur, etiamsi matrimonium sit simpliciter *ratum*, cum hoc quo- que praevaleat sponsalibus. Hae duae conclusiones autem de praevaletia fundantur in hoc principio, quod in uno et altero casu nequit duplici obliga- tioni satisfieri, prout in expositione sequentis hy- pothesis clarum fiet.

4.° Demum quod erit statuendum in concursu unius matrimonii de praesenti cum altero matri- monio pariter de praesenti subsequente? Respon- dendum profecto est primo matrimonio valido exi-

stente, nec ullo modo resoluto, aliud quodcumque matrimonium censendum esse invalidum *ob impe- dimentum ligaminis*; idque valet, etiamsi primum matrimonium sit simpliciter ratum; etsi secundum fuerit quoque consummatum copula carnali. Com- plexa haec responsio quoad singula probatur. Et imprimis dicitur supponi primum matrimonium esse validum, hoc est siquidem fundamentum, cum nequeat locum habere impedimentum ligaminis, si ligamen non est, ex eo quod matrimonium qua- cumque ex ratione fuerit invalidum: quod pariter dicendum est, si puta matrimonium simpliciter ratum fuerit resolutum vel ex professione religiosa vel ex Romani Pontificis dispensatione. Non est autem cur loquamur de matrimonio consummato, quod non nisi per mortem inter christianos initum resolvitur. At si ita res se habent, exurgit impe- dimentum ligaminis ad quodcumque aliud matri- monium excludendum. Jure siquidem divino ma- trimonium est institutum *monogamum* per illa verba, quae primus homo ex instinctu S. Spiritus protulit: « hoc nunc os ex ossibus meis, et caro » de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem » et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et » erunt duo in carne una. » Quae verba exponens Innocentius III in *cap. 8 de divortiiis* ait: « in carne » una erunt; non dixit, tres vel plures, sed duo: » nec dixit adhaerebit uxoris sed uxori. » Ex quo *polygamia* et *polyviria* exclusa est: *polygamia* siquidem habetur, cum unus vir sibi matrimonio

simul jungit plures uxores: *polyviria* autem cum una mulier duobus vel pluribus viris simul matrimonialiter copulatur. Polygamiam et polyviriam simultaneam esse jure divino prohibitam communis est Doctorum sententia ex citatis textibus, quibus additur dogmatica definitio Concilii Tridentini *sess. 24 can. 2 de sacramento Matrimonii*: « si quis dixerit licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum: anathema sit. » Controversia tantum in hoc est: an jure quoque naturali, vel tantum jure positivo divino haec interdictio habeatur; et inter plures sententias haec nobis praeferenda videtur: Quamvis jure naturae ad omnes matrimonii fines obtinendos aptior sit et convenientior *monogamia*, minus apta et conveniens *polygamia*, haec tamen vere et proprie reprobata est *jure divino positivo primigenio*, in quo etsi pro populo Dei in veteri lege *directe* dispensatum sit, et *indirecte* fortasse pro aliis quoque populis; nihilominus ex doctrinâ Christi instauratum est, et post sufficientem Evangelicae legis promulgationem vim suam exeruit, ut polygamia interdicta sit christianis aliisque gentibus omnibus: polyviria vero non modo jure positivo divino sed et naturali, saltem praesenti ordine spectato, prohibita esse dicenda est. Quae propositio per partes ita ostenditur. Nam certum est polygamiam non posse componi cum perfecta illa aequalitate conditionis, quae debet esse inter virum et uxorem, scilicet ut *unus unius sit*; et

deinde minus componi potest cum fine secundo matrimonii, nempe cum tranquilla cohabitatione et pace conjugum; prout experientia ostendit etiam in sanctorum familiis, cum polygamia vigeret. At haec omnia non tam interdictam jure naturae polygamiam ostendunt, quam minus convenientem. Jus quod prohibuit polygamiam fuit jus positivum divinum primigenium, nempe nostris protoparentibus propositum, quo ex relatis verbis a Domino indicta fuit monogamia; quod proinde jus universo fuit humano generi impositum, cum primum protoparentum conjugium fuerit forma conjugiorum, quae ab humano genere contrahenda in futurum erant. In hoc jure positivo divino dispensatio a Deo data est patriarchis, qui plures habuerunt uxores, quod viri sanctissimi non fecissent, si illud illicitum suo tempore fuisset, et populo haebraeo, ac juxta plures Doctores etiam populis gentilium, quamvis alii negent, quia pro istis non militat dispensationis divinae ratio, nempe populi fidelis multiplicatio. Quae dispensatio facillime explicatur in nostra sententia, at non potest concipi in opinione, quod polygamia sit jure naturae prohibita, cum in jure naturae non detur dispensatio. Proposita autem per Christum lege evangelica haec venia seu indulgentia sublata est, et matrimonium reductum ad primaevam legem monogamiae; ac proinde non modo christiani sed et quicumque alii sive haebraei sive infideles ad hanc servandam legem tenentur; unde impedimentum ligaminis

dictum est quoscumque etiam infideles obstringere. Quod autem spectat ad polyviriam, hanc et jure divino positivo esse prohibitam ex allegatis juribus constat; et in ea non fuisse factam dispensationem, neque pro ea consuetudinem inolevisse non modo apud civiles gentes, sed neque apud barbaras certum ex historia est, si eas excipias feras gentes, apud quas nec certa connubia nec familiae ratio exstitit, sed vagi tantum concubitus belluarum more; quod demonstrat jure etiam naturae hanc polyviriam inhiberi; et reapse in ea servari nequeunt praecipui matrimonii fines, praesertim educatio proles, cum incerta paternitas reddatur. Diximus autem id verum esse saltem *praesenti ordine spectato*; nam est inter Doctores quaestio: an per absolutam Dei potentiam polyviria possit consistere rataque haberi? Quam ipsi diversimode resolvunt apud Schmalzgrueber *h. t. num. 13*, in duas sententias divisi.

5.º Praedictam autem conclusionem sustineri, etsi primum matrimonium sit tantum ratum non consummatum, contra vero subsequens sit quoque consummatum ostenditur ex *cap. 3 h. t.* in quo Alexander III quaestionem auctoritative resolvit sequentibus verbis: « Si inter virum et » mulierem legitimus consensus interveniat de » praesenti ita quidem, quod unus alterum in suo » mutuo consensu verbis consuetis expresse recipiat utroque dicente: Ego accipio te in meam, » et ego accipio te in meum, sive sit juramen-

» tum interpositum sine non, non licet mulieri » alteri nubere, et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, et ut ad » primum redeat, ecclesiastica districtione compelli. » Haec tamen decisio habet ultimum comma: « quamvis aliter a quibusdam Praedecessoribus » nostris sit aliquando judicatum. » Quod Interpretibus gravem difficultatem ingessit, et ab eis diversimode exponitur, ut explicent quomodo Antecessores Romani Pontifices hac super re diverse sentirent ab eo quod Alexander III decisit, et quod deinde a Concilio Tridentino fuit canone dogmatico definitum. Tres praesertim explicationes inter alias circumferuntur. Prima est Melchioris Canilibrum *lib. 6 De Ecclesiae Romanae Auctoritate cap. 8* ubi hoc verbum *judicatum* accipit pro *privata sententia* vel *opinione*, et Bellarmini *lib. 4 De Pontifice cap. 14.*, qui Pontifices illos, ait, nihil hac super re definivisse, neque legem generalem edidisse, sed in facto peculiari opinionem quam tenebant, secutos fuisse. At haec explicatio non videtur componi posse cum perfecta irreformabilitate Rescriptorum quae a Romanis Pontificibus emanant quoad principia moralitatis et doctrinae a Christo receptae. Fuissent enim haec Rescripta vel iudicata, in quibus Pontifices, et quidem in re gravi ad sacramenti valorem pertinente falsam tuebantur opinionem, secundum matrimonium habentes validum quia consummatum prae primo, quod erat tantummodo ratum; quae eorum falsa

opinio deinde rejecta fuit ab Alexandro III et Innocentio III. Alii recentiores Canonistae cum Wagnereck et Schmier apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 25, hanc oppositionem sic conciliare nituntur, ut illa judicia Praedecessorum Pontificum vocent judicia oeconomica, quatenus illi Pontifices in concursu duorum conjugiorum, resoluta de plenitudine potestatis primo matrimonio tantum rato alterum consummatum sanarent in radice, et sic praeferebatur in facto secundum consummatum conjugium primo tantum rato. Verum talis explicatio non potest admitti. Praescindendo enim ab ea animadversione, quod in casu non possit dari *sanatio in radice*, ut contendit Pirhing *h. t. num.* 6, quemadmodum nequit Pontifex condere legem, ut matrimonium ratum et non consummatum dirimatur per subsequens matrimonium carnali copula consummatum, auctoritate dissolvendi matrimonium ratum, praeter casum professionis religiosae in jure contemplatum, non utebantur Pontifices, ut alibi fusius demonstrabitur. Restat ergo tertius modus explicationis, qui maxime rationi congruens mihi apparet, et ex historicis monumentis juvatur. Ecclesia Romana enim semper tenuit matrimonium solo consensu perfici, ut constat ex Epistola Innocentii I ad Exsuperium Tolosanum, ex Epistola 129 Leonis Magni, ex Epistola Siricii ad Himerium Tarracensem, et ex Responso 3^o Nicolai I ad quaesita Bulgarorum, adeo ut jure potuerit Innocentius III

in *cap.* 5 *h. t.* juxta antiquam doctrinam et praxim Ecclesiae Romanae et juxta canonicas sanctiones dicere sufficere ad matrimonium, si inter legitimas personas consensus legitimus interveniat de praesenti, qui si solus defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrari. Sensus catholicus proinde in hac parte anceps non erat, nec dubia doctrina. Verum tempore Alexandri III, ut constat ex Petro Lombardo *lib.* 4 *sentent. dist.* 27, nonnulli opinati sunt verum matrimonium non esse ante carnalem copulam. Quae nova doctrina si in una vel altera dioecesi habuit sectatores et in praxim deducta est, plurimum Antistitum turbavit conscientias, qui Romanam Cathedram consuluerunt. Reapse habemus in *Prima Collectione Decretalium cap.* 6 et 7 et in Decretalibus Gregorii IX *cap.* 3 et 4 *h. t.* responsa Alexandri III ad Archiepiscopos et Episcopos Salernitanum, Ianuensem, Patavinum, Senonensem, et Norvicensem, sicut et Responsum Innocentii III ad Episcopum Mutinensem. In omnibus hisce Rescriptis asseritur vera doctrina et praxis Ecclesiae Romanae, cum qua omnes debent convenire Ecclesiae: « *ne turpis sit pars, quae suo non congruit universo* » ut habet *loc. cit.* Innocentius III. In nullo autem alio Rescripto Alexander III illam pericopen proposuit nisi in eo, quod direxit ad Archiepiscopum Salernitanum. Quae singularitas demonstrat Archiepiscopum Salernitanum ad defensionem novae doctrinae usum fuisse quoque aliquibus Rescriptis

datis a Romanis Pontificibus in aliquibus causis decidendis, in quibus secundum matrimonium consummatum fuisset praelatum primo simpliciter, at decisiones illae in casibus particularibus poterant etiam esse pro secundo conjugio, etiamsi Pontifices Antecessores eandem tenerent doctrinam ac Alexander III. Quid enim si primi matrimonii tantum rati in foro externo non fuissent probationes? quid si Pontifices in facto aliquo decepti fuissent ex improbitate recurrentium? Responsioni proinde doctrinali datae per Alexandrum III non opponerentur illa Rescripta Praedecessorum Pontificum, et hoc est quod voluit Pontifex illis verbis asserere Archiepiscopo Salernitano, qui ea Rescripta a se non recte intellecta ut difficultates proponebat.

6.º Polygamorum judicia antiquitus agebat Tribunal ecclesiasticum, prout habetur ex *cap. 2 h. t.*; post Concilium Tridentinum vero attentans secundum matrimonium constante primo denunciandus erat S. Inquisitioni, tamquam suspectus de haeresi, et fuit obnoxius Constitutioni Urbani VIII *Magnum diei 20 Junii 1637*, quae tamen non fuit in omnibus usu recepta, ut asserit Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 9 cap. 6 num. 8*. Hodie istae causae (praecisione facta a poenis spiritualibus) pertractantur apud tribunalia civilia, et ex illa oppositione, quae existit in hac materia inter legislationem ecclesiasticam et civilem facile in

pluribus casibus vitatur vindictae publicae animadversio.

7.º Ex sponsalibus et ex matrimonio rato oritur impedimentum dirimens, quod dicitur *publicae honestatis*, vel *justitiae publicae honestatis*, de quo nos locuturos esse in hoc Titulo in antecessum promisimus. Hoc a juristis communiter definitur: « quaedam quasi affinitas orta ex sponsalibus de futuro vel ex matrimonio de praesenti nondum consummato inter sic copulatos » obstans conjugio eorum cum alterutrius partis » consanguineis contrahendo. » Impedimentum hoc inductum fuit lege Romanorum, ex eo scilicet quod in nuptiis contrahendis non solum spectandum sit quod liceat, sed etiam quod honestum videatur *Leg. 42 Digest. de ritu nuptiar.*; minus autem honestum visum est eam, quae semel ex. gr. fuit sponsa fratris, uxorem deinde alterius fratris dici, quasi sponsa quamdam habeat uxoris imaginem; hinc Pomponius in *leg. 8 digest. de gradib. et affinitib.*, ait: « Servius recte dicebat soceri et socrus » et generi et nurus appellationem etiam ex sponsalibus acquiri. » Et Ulpianus *leg. 6 cod. tit.* « Generi et nurus appellatione sponsus quoque et » sponsa continentur: item soceri et socrus appellatione sponsorum parentes contineri videntur. » Quod impedimentum ortum ex sponsalibus deinde potiori ex ratione extensum est ad matrimonium ratum non consummatum, ut patet ex Rescripto Zenonis Imperatoris *leg. 8 Codicis. de incestis*

nuptiis. Has tam sapientes praescriptiones respondententes justitiae morum publicorum Ecclesia canonizavit, et hinc impedimentum publicae honestatis evasit ecclesiasticum, prout constat ex *can. 14 et 15 caus. 27 quaest. 2 in Decreto Gratiani*, et *cap. un. de sponsal. in VI*, et *cap. 4 de desponsat. impub.* Ex quibus dignoscitur quam male prospiciatur hodie publicae honestati morum, si hoc impedimentum, quod in ethnica societate servabatur, hodie in Codicibus legum societatum christianarum disparuit, in quibus non habetur ulla ratio nec contractorum sponsalium nec matrimonii rati circa hunc respectum. Quod impedimentum ortum ex sponsalibus ex jure antiquo dirimebat matrimonium usque ad quartum consanguinitatis gradum, ut notant Doctores in *cap. 8 de sponsal.*, etiamsi sponsalia fuissent invalida dummodo invaliditas non esset ex defectu consensus ex *cap. unic. de sponsal. in VI*. At hodie post Concilium Tridentinum *sess. 24 cap. 3 de reform. matrimonii* non oritur nisi ex sponsalibus validis et absolutis de futuro, et tunc dirimit contrahendum conjugium ad *primum consanguinitatis gradum*. Hoc tantummodo advertendum est, impedimentum publicae honestatis oriri ex sponsalibus quoque occultis. Quamvis enim non desint Doctores, quos citat Pitonius *Disc. Eccles. 52 num. 96*, qui contrarium tueantur, tamen praxis Romana aliud omnino tenet, et haec est ipsis praefenda, sicut in omnibus aliis quaestionibus de-

cidendis a chordato Interprete Juris canonici retineri debet, quia haec est tuta interpretis sensus Canonum. Probatur autem id ex eo quod inter facultates concessas S. Poenitentiariae officio vivae vocis oraculo a Pio VI *mense Martio 1793* Petro Paraciani S. Poenitentiariae Regenti sub *num. 14* haec legatur: « Dispensandi pro fidelibus super impedimento justitiae publicae honestatis proveniente » ex occultis sponsalibus praecedenter initis sive » cum matre aut cum filia seu cum sorore sponsae; sive è contrario aut cum patre aut cum » filio, vel cum fratre sponsi tam pro matrimoniis » contractis, quam pro matrimoniis ineundis, dummodo impedimentum praefatum sit omnino occultum, et dummodo, dum agitur de matrimoniis » ineundis, sponsalia antea ut praefertur inita, fuerint mutuo consensu rescissa. » Qua facultate S. Poenitentiaria semper usa est, eaque utitur. Cohaeenter ad haec cum S. Poenitentiariae propositum esset sequens dubium: « Duo juvenes liberi Capuani clandestine irriverunt sponsalia de futuro: dehinc sponsus solemniter sponsalia contraxit cum sorore germana primae sponsae: quaerit Episcopus a S. Poenitentiaria definitivum consilium, utrum videlicet ex clandestinis sponsalibus contractum sit impedimentum publicae honestatis? » Et S. Poenitentiaria sub die 10 *Semtembris 1834* respondit: « Affirmative. »

8.º At si oriatur ex matrimonio rato, tunc ante Tridentinum Concilium valebat dispositio

cap. unic. de spons. in VI, nempe oriri hoc impedimentum ex quocumque matrimonio rato etiam invalido, dummodo non esset invalidum *ex defectu consensus*, et quidem usque *ad quartum gradum inclusive*. Atqui Pius V in *Constit. Ad Romanum diei 1 Julii 1568* authentice declaravit ac definit decretum Concilii Tridentini *sess. 24 cap. 3 de reform. matrim.* esse intelligendum ut procedat in sponsalibus de futuro dumtaxat non autem in matrimonio de praesenti non consummato, sed in eo durare adhuc impedimentum *in omnibus illis casibus et gradibus*, quibus de jure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum erat. Ergo etiam post illud Tridentini Concilii decretum istud impedimentum proveniens ex matrimonio rato dirimit usque ad quartum gradum, etsi matrimonium sit invalidum, dummodo tale non sit ex defectu consensus, seu in illis omnibus casibus, in quibus vigeat ante Concilii dictum decretum. Ut vero videamus quinam sint illi casus, determinari debet quid veniat sub illis verbis: « dummodo matrimonium non fuerit invalidum ex defectu consensus. » At haec phrasis, quae fuit adhibita ante Concilium Tridentinum non potuit respicere *consensus legitimitatem*, sed debuit respicere *verum consensus defectum*, qui defectus habebat locum in matrimonio irrito propter metum, aut propter errorem in persona, aliisque casibus in quibus vel omnino deficiebat, vel non erat plenarius consensus; proinde etiam hodie dicendum est

post Tridentinum illos tantum casus excipi. Ergo sententia, quam tenet Sanchez *lib. 7 de matrim. dist. 7 num. 13*, quod scilicet impedimentum publicae honestatis non enascatur ex matrimonio rato sed invalido propter non servatam formam Tridentini seu clandestino, sustineri rationabiliter nequit, quia directe est opposita supradictae Constitutioni Pii V. Est inquam tali Constitutioni opposita, quia haec sententia Sanchez supponit Concilium Tridentinum in *cap. 3 sess. 24 de reform. matrim.* respexisse ad impedimentum publicae honestatis ortum ex matrimonio rato, cum Pius V in illa Constitutione doceat ad hoc impedimentum quatenus oritur ex matrimonio rato Tridentinum non respexisse, sed solummodo quatenus enascebatur ex sponsalibus de futuro. Et iterum illi Constitutioni est contraria, quia Sanchez post Tridentinum putat hoc impedimentum non enasci *in omnibus casibus*, in quibus prius oriebatur, contra id quod Pontifex Pius V in ea Constitutione authentica declaravit. Neque dicas per Tridentinum Concilium factum esse, quod clandestina connubia facta sint invalida, quae prius valida erant; nam hic non est quaestio de validitate, cum tale impedimentum publicae honestatis enascatur ex matrimoniis ratis validis aut invalidis, una tantum facta exceptione, nempe dummodo non sint invalida ex defectu consensus, seu quia consensus non habetur vel non est plenus et id cum Canonistis probat Schmalzgrueber *num. 102 h. t.* Sicut notandum est hoc

impedimentum publicae honestatis procedere quoque in casu, quo matrimonium sit vere clandestinum, nempe probationibus quibuscumque destitutum in foro externo, prout de sponsalibus in antecessum demonstravimus.

9.º Retenta veriore sententia, quod impedimentum publicae honestatis enascatur ex matrimonio, in quo non fuerit servata forma Tridentini, et propter hoc sit clandestinum ac proinde invalidum, fuit nuper apud S. Congregationem Concilii disputatum sequens dubium: « *An actus qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis?* » Et S. Congregatio Concilii die 13 Martii 1879 respondit: « *Negative; et consulendum Sanctissimo, ut id declarare ac statuere dignetur.* » Facta autem de praemissis relatione SSmo Dño Nostro Leoni XIII per Secretarium S. C. in audientia diei 17 ejusdem mensis, Sanctitas Sua resolutionem approbare ac confirmare dignata est, ac jussit fieri Decretum, Quod editum est sequentis tenoris: - « Postquam » laici legumlatores praeter civiles ac paliticos effectus, impio ausu ipsum pervadere ac moderari » praesumpserunt matrimoniale foedus quod a Deo » auctore naturae ante omnem civilis societatis » existentiam primitus institutum, ac ad ineffabilem Sacramenti dignitatem deinde a Christo » Redemptore evectum, quamlibet politicam et civilem jurisdictionem penitus excedit, pluries Episcopi aliique animarum pastores ab Apostolica

» Sede anxii postularunt, an ex actu civili qui honorandum usurpat matrimonii nomen impedimentum justitiae publicae honestatis oriatur. » Quae postulationes cum iteratae postremis hisce temporibus fuissent, Summus Pontifex mandavit ut hujusmodi negotium a S. Congregatione Eñorum ac Rñorum Cardinalium Concilii Trid. interpretum rite ac sedulo expenderetur. Sacra autem Congregatio exquisitis virorum in theologicis et canonicis disciplinis peritorum consultationibus, ac re mature discussa in generali comitio diei 13 Martii 1879 propositae dubii formulae: - An actus qui vulgo audit matrimonium civile, pariat impedimentum justitiae publicae honestatis. - Rescripsit: - Negative: et consulendum SSmo ut id declarare ac statuere dignetur. - Quapropter SSmus Dominus Noster Leo Papa XIII audita universa rei relatione in audientia diei 17 ejusdem mensis in voto S. C. concedens per praesens decretum declarat ac statuit praememoratum actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. sess. 24 cap. 1 de reform. matrim. sive fideles actum ipsum explentes intendunt uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quancocius celebrandi) meram coeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de

» praesenti contrahere, impedimentum justitiae publicae honestatis non producere. Atque ita etc. » - Et fuit probatum in Audientia *diei 7 Aprilis 1879.* - Dum ea, qua par est, submissione et obsequio laudatam Decisionem recipimus, tum ex supremae Congregationis dignitate, tum praecipue ex Summi Pontificis addita Auctoritate, licebit nobis nonnulla de sensu et extensione Decreti disserere quibusdam praemissis de statu quaestionis respiciendo ad ea, quae apud S. Congregationem in antecessum fuerunt disputata. Matrimonium sic dictum civile Ecclesia a prima institutione ejusdem semper detestata est, tum quia procedebat ex usurpatione Status qui in dispensatione sacramentorum quamvis sub alio respectu inserere se volebat, tum quia Ecclesiam ab hoc ministerio excludere satagebat, cum ipse non recognosceret aliud matrimonium validum nisi illud quod sub forma civili initum esset, et pro christianis non est aliud matrimonium validum, nisi simul sit contractus et sacramentum. Hoc ergo matrimonium civile praescindens ab impedimentis ab Ecclesia propositis et a forma Concilii Tridentini, et insistens in impedimentis vel recognitis a Statu vel ab eo inductis et in forma ab eodem Statu determinata fuit *in se et quoad intentionem* proponentis Gubernii illicitum. Hinc est quod Ecclesia plurimum adlaboravit ne in diversis Statibus induceretur, prout ultimis nostris temporibus intervenit, cum Matrimonium Civile fuit inductum in Legislatione Ita-

lica, quemadmodum non semel institit, ut in Statibus, in quibus inductum erat, revocaretur. Adeo vero fuit absolutum Ecclesiae odium contra civile connubium, ut ne voluerit quidem impune frequentari a fidelibus illarum regionum, in quibus erat Tridentinum Decretum promulgatum, in iis adjunctis, in quibus Tridentina lex impleri non poterat. Id siquidem constat ex Decretis Congregationis Cardinalium pro Negotiis Ecclesiae Gallicanae deputatae a Pio VI tempore rebellionis anni 1791. Etenim cum Lucionensis Episcopus quaesivisset: « Num retento tamquam publicato et in suo robore Tridentini decreto in singulis Galliarum Ecclesiis, valida censi possint matrimonia inita coram officiali municipalitatis et quatuor testibus in vim praememorati decreti nationalis conventus, quoties parochi praesentia haberi non posset; quandoquidem pluries S. Concilii Congregatio decrevit satisfieri menti Concilii Tridentini celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi praesentia haberi nequeat? » Super quo dubio praefata Cardinalium Congregatio respondit prout in Epistola Cardinalis Zelada ad Episcopum Lucionensem edita *die 28 Maji 1793 § 4:* « Lucionensis Dioecesis » fideles abstinere omnino debere a contrahendo » matrimonio coram municipalitate, aut coram » officiali a municipalitate selecto: cum enim tum » ii, qui municipalitatem componunt, tum officialis » a municipalitate electus, sint publici functionarii, ut ajunt, iuramentum a conventu nationali

» praescriptum emiserint necessum est, quapro-
 » pter tamquam schismatici, aut ad minus tam-
 » quam schismatis fautores jure merito reputan-
 » tur. Ex his autem illud consequens est, absti-
 » nere omnino Fideles debere a contrahendo ma-
 » trimonio coram municipalitate, seu coram offi-
 » ciali a municipalitate delecto, ne ulla schisma-
 » tis contagione polluantur. Curare idcirco Fideles
 » debere contrahere matrimonium coram testibus,
 » et quidem, quoad fieri possit, catholicis, prius-
 » quam municipalitati se praesentes sistant, ut
 » praescriptam a nationali conventu declarationem
 » faciant. Et quoniam complures ex istis Fide-
 » bus non possunt omnino Parochum legitimum
 » habere, istorum profecto conjugia contracta co-
 » ram testibus, et sine Parochi praesentia, si nihil
 » aliud obstat, et valida et licita erunt, ut saepe
 » saepius declaratum fuit a Sacra Congr. Conc.
 » Tridentini.» Verum haec lex civilis fidelibus im-
 » posita fuit sub gravissima sanctione, et qui hanc
 » formam a gubernio statutam non observassent, ne-
 » quibant consequi effectus matrimonii civilis, inter
 » quos computabatur etiam legitimitas filiorum et
 » successio intestata in haereditatem parentum, ac
 » ipsum jus ad officia maritalia excipienda. Cum
 » ergo rogata esset Ecclesia, an fideles valerent hoc
 » matrimonium civile adimplere ad istam sanctionem
 » vitandam, ne perderent consecutionem effectuum
 » civilium matrimonii, Ecclesia prout constat ex
 » Constitutione Benedicti XIV « *Redditae sunt* » et

ex actis praedictae Congregationis Cardinalium
 praecepit Episcopis et parochis ut fideles edocerent
 de valore et natura hujus actus civilis, quem per-
 agere cogebantur pro nuptiis contrahendis, ne er-
 rore ducti putarent verum matrimonium contrahi
 coram officiali civili, quod invalidum prorsus erat
 utpote initum contra formam Tridentini; neque
 proinde post hunc expletum ritum posse conjuges
 se reputare tales, ac multo minus valere rei ma-
 rituali operam dare, cum filii ex tali copula nati
 censendi essent illegitimi nisi coram Ecclesia ma-
 trimonium contraheretur. Deinde permisit fide-
 libus, ut adirent civilem Magistratum, sed ea tan-
 tum intentione declarandi suam voluntatem con-
 trahendi in posterum in facie Ecclesiae nuptias
 nunc vero solum adimplendi civilem ceremoniam,
 minime vero ad illas ineundas per mutuum con-
 sensum de praesenti. Ergo argumentum adduc-
 tum non posse confundi matrimonium civile, quod
 est *licitum*, cum matrimonio clandestino, quod est
illicitum, continet merum paralogismum; nam
 utrumque est illicitum et odio habitum ab Ec-
 clesia: at primum ratione coactionis permittitur,
 et dummodo partes consensum internum contra-
 hendi de praesenti non praesentent. Sub hisce pa-
 riter conditionibus S. Poenitentiaria Officialibus
 civilibus concessit ut huic matrimonio adsistere
 valerent prout ex infrascripta facultate: « S. Poe-
 » nitentiaria de speciali et expressa Apostolica
 » Auctoritate Ordinario N... facultatem concedit

» attentis peculiaribus circumstantiis in casu con-
 » currentibus declarandi dilecto in Christo Oratori
 » N. tolerari, ut recipere possit actum a lege civili
 » praescriptum circa matrimonium, dummodo ce-
 » remoniam mere civilem se exercere intendat, ni-
 » hilque suadeat ac peragat contra matrimonii
 » sanctitatem, aut necessitatem illud contrahendi
 » coram Ecclesia, et fideles imo hortetur, ut si
 » nondum contraxerint coram Ecclesia, quam pri-
 » mum contrahant. »

10.° Porro si matrimonium civile sic considera-
 retur et non haberetur in eo voluntas interna con-
 trahendi, profecto ex hoc matrimonio non potuisset
 unquam oriri impedimentum publicae honestatis,
 neque poterat haberi Doctorum concertatio hac de
 re ita ut nonnulli starent pro affirmativa alii pro
 negativa; nam hoc connubium fuisset invalidum
 non solum propter non servatam formam Tridenti-
 ni, sed quoque ex defectu consensus, et omnes
 conveniunt quod quando non est consensus, non
 habetur ratio impedimenti publicae honestatis.
 Quando ergo disputabant doctores an ex matri-
 monio civili oriretur nec ne impedimentum pu-
 blicae honestatis utrique tum affirmantes tum ne-
 gantes supponebant in eo adfuisse voluntatem per-
 sonarum, quae intendebant de praesenti contra-
 here prout ipse actus externus id praeseferebat.
 Illi autem qui negativam sententiam tenebant
 se tuebantur duabus rationibus, quarum prima
 jam in antecessum exposita et refutata est, scilicet

hunc consensum utpote non in forma Tridentini,
 dici defectuosum; secunda vero erat quod in casu
 in eo non praesumeretur consensus internus vo-
 luntatis ex forma externa, quia illa verba expri-
 mebant voluntatem fidelium praestandi tantum ce-
 remoniam civilem; ac proinde si adfuisset quoque
 in aliquo casu voluntas contrahendi de praesenti,
 hoc prorsus fuisset occultum, et ex clandestino
 matrimonio occulto juxta eos Doctores non proce-
 debat impedimentum publicae honestatis; quod pa-
 riter ex anterieus dictis falsum est. Non esse autem
 casum infrequentem, in quo ex parte contrahen-
 tium exhibeatur in talibus matrimoniis civilibus
 consensus de praesenti sicut ipse actus exter-
 nus indicat, nobis probant plura civilia con-
 nubia in quibus inter contrahentes non cele-
 brato matrimonio religioso statim post civilem con-
 tractum proceditur ad opus maritale, et filii pro-
 creantur, ad quorum legitimationem sicut ad in-
 staurandum validum connubium, renuente una
 parte contrahere coram Ecclesia, ad instantiam
 alterius S. Poenitentiaria sanat in radice connu-
 bium, id quod supponit et haberi *speciem* connubii
 et adfuisse in celebratione contractus civilis saltem
 naturalem consensum, qui contractus ceteroquin
 ex impedimento ecclesiastico erat illegitimus. Quod
 non excluditur ex eo quod vocetur *exitialis con-*
cubinatus; quae appellatio ab Ecclesia jure data
 est ad compescendam audaciam guberniorum,
 quae illud valere saltem ratione contractus dicti-

tabant. Neque id demum excluditur ex eo quod S. Congregatio Concilii in *Pragen. Matrimonii diei 15 Januarii 1723* noluerit concedere *sanationem in radice*, cum plures potuerint esse rationes ex quibus illa gratia fuerit denegata; quod aliquando etiam praestat S. Poenitentiarum, cum nempe non sunt difficultates ad consensum coram Ecclesia iterandum. Inutiliter autem et non nisi ad fucum faciendum subdebatur ab adsertoribus contrariae sententiae matrimonium civile non posse producere impedimentum publicae honestatis, quia hunc juridicum effectum non valet actui dare nisi Ecclesia, a qua procedunt impedimenta, non vero Status. Nam qui tenebant hoc impedimentum ex matrimonio civili produci numquam somniarunt hunc effectum haberi ex constitutione Status, sed ex constitutione Ecclesiae, quae jam statuerat hoc impedimentum induci ex quovis matrimonio etiam invalido, dummodo tale non esset ex defectu consensus, et inter talia matrimonia computari debebat matrimonium sic dictum civile, quando adfuisset revera praestitus consensus mere naturalis. Non negamus vero, quod Ecclesia potuerit illud impedimentum suppressere. Imo fatemur id per decisionem relatum factum esse, ut manente hoc impedimento publicae honestatis pro aliis matrimoniis clandestinis fuerit sublatum relate ad matrimonium civile, ac proinde evulgato praedicto Decreto hodie tenendum est ex matrimonio civili non oriri impedimentum publicae honestatis, etsi in eo

habeatur consensus partium de praesenti; et dum antea habebantur decisiones ac praesertim responsum S. Poenitentiarum *diei 13 Martii 1820* approbatum a Pio VII, nunc habetur responsum S. Congregationis Concilii approbatum a Summo Pontifice Leone XIII, qui *declarando statuit* ex tali matrimonio civili non haberi impedimentum publicae honestatis etsi consensus contrahentium de praesenti accessisset, ad cujus auctoritatem Patres Cardinales recurrendum censuerunt, ut id declarare et statuere dignaretur, quemadmodum praestitum est in audientia *diei 17 Martii 1879*, prout supra expositum est. Unde patet supradictum Decretum esse ad instar *Motus-proprii* Benedicti XIV pro Belgio, de quo in antecessum locuti sumus, ut nempe non sit mera *declaratio*, sed potius *declaratio cum decreto* et hac expositione omnia jura concordantur.

11.° Notandum tamen est in laudata decisione quoad matrimonium civile fuisse resolutum unicum casum infrequentissimum; vix enim contingit, quod hoc matrimonium maneat non consummatum; de aliis autem casibus ac respectibus matrimonii civilis decisio non loquitur, neque aliquid proinde mutatum est. Casus vero et respectus *quinque* praesertim sunt, de quibus breviter hic loquemur. - (a) Quid enim dicendum si hoc matrimonium civile ineatur in loco, in quo Concilii Tridentini decretum *cap. 1 sess. 24* non fuit promulgatum, eritne hoc matrimonium validum vel

potius invalidum? Et respondendum est applicando theoriam jam traditam in *tit. III* in expositione *cap. 2*, quod si partes habent intentionem contrahendi de praesenti, sit verum matrimonium, quemadmodum pariter constat ex sensu contrario *cap. 26 tit. I*. Neque opponatur: « sacramenti confectioni resistere intentionem agentium, qui positive intendunt non facere, quod facere Ecclesia intendit » sufficit enim juxta probatissimos theologos, quod ipsi intendant contrahere, ut habeatur simul contractus et sacramentum; hic enim contractus est quoque sacramentum ex eo quod est matrimonii contractus baptizatorum, qui ex baptisate est simul sacramentum, quamvis ab ipsis sacrilege recipiatur. - (b) Quid insuper dicendum, si hoc matrimonium fuerit consummatum, an affinitas inducitur ex matrimonio civili usque ad quartum gradum, vel usque ad secundum? Et respondendum juxta ea, quae afferuntur in *tit. XIII* contrahi affinitatem usque ad quartum gradum. - (c) Quid pariter dicendum, si tale matrimonium civile attentetur ab iis, qui in ordine majori vel voto religioso solemniter adstricti sunt an incurrant excommunicationem latae sententiae Episcopis vel Ordinariis reservatam in Bulla *Apostolicae Sedis*? Et respondendum *affirmative*, cum in casu neque adsit necessitas obsequendi legi civili, et proinde praesumatur voluntas consensus in vetitum conubium, prout fuse explicat Petrus Avanzini in Commentariis ad Bullam « *Apostolicae Sedis* »

num. 39^a editionis anni 1874. - (d) Ulterius quid respondendum si ab istis attentatum matrimonium fuerit consummatum, an incurrant irregularitatem ex bigamia similitudinaria? Et pariter *affirmative* est respondendum, prout demonstratum est in *tit. XX lib. 1*. - Demum (e) quid dicendum si Titius vera uxore adhuc vivente, civiliter contrahit cum alia, et cum ea maritaliter vivit, an cum hac deinde primâ demortuâ possit coram Ecclesia sociari? Et S. Poenitentiaria consuevit respondere: *obstare impedimentum criminis ex adulterio cum attentatione matrimonii*.

TITULUS V.

*De conditionibus appositis in desponsatione
et in aliis contractibus.*

I.º Agitur in hoc titulo de conditionibus, deque affinibus earum, ut videatur quid eae importent cum sunt appositae desponsationibus, aliisque contractibus. Conditio porro, ut hic assumitur, est circumstantia dispositioni adjecta, a cujus existentia dependere volumus valorem illius. Et sub hoc sensu est vel *late* vel *stricte* sumpta. Si *stricte* sumatur definiri potest: « adjectio dispositioni eam in tempus et eventum futurum incertum suspendens. » Si vero *late* sumatur definitur: « adjectio appositae vel subintellectae suspendens vel resolvens dispositionem contractus vel alterius actus, ejusque quae ex illo nascitur obligationem. » Unde conditio lato sensu accepta includit conditionem de praeterito, de praesenti

et de futuro, sive haec postrema sit necessaria, sive contingens. E contra conditio *stricte* sumpta includit tantum conditionem de futuro contingentem. Quin imo primae conditiones non suspendunt obligationem, sed statim aut firmant, aut tollunt, prout verificantur vel non verificantur; et aut statim nascitur et permanet obligatio, vel a principio non nascitur: è contra in conditionibus de futuro contingentibus obligatio non statim nascitur, sed postquam verificata est conditio. Quin imo in principio dubitatur an enascatur necne obligatio, et solummodo nasci dicitur, cum conditio impleta est. Neque dicatur apponentes conditionem ignorare an ea verificata sit; namque si ea de praeterito fuerit vel de praesenti, etsi debeat dignosci an ea fuerit verificata vel non, semper tamen verum est, quod cum apponitur, aut ea est vel non est; ac proinde statim dignoscitur si enata fuerit obligatio vel non; unde statim *cedit* obligatio vel non *cedit*. Quemadmodum in conditionibus necessariis futuris statim *cedit* obligatio, quia eae certo futurae sunt, etiamsi ad petendam vel exigendam obligationem, tempus debeat attendi, quo factum verificetur. Non sic vero in conditionibus futuris contingentibus advenit; cum eae verificari valeant vel non; proinde dies obligationis nec *cedit* statim nec *venit*, sed tantum quando conditio verificatur; cum eâ non verificatâ neque enascatur obligatio. Dicitur autem resolvi obligatio, cum actus ab initio est simplex, conditio tamen efficit, ut valeat ces-

sare prout exemplificant Doctores hoc paradigmate: « duco te, donec aliam ditioem invenero. »

2.º Conditio porro est vel: - 1. honesta et possibilis; - 2. inhonesta et impossibilis; - 3. contra substantiam aut bona matrimonii. Sub *conditioe honesta* venit *conditio potestativa*, quae impleri valet salvis honestatis legibus, sub *possibili* venit, quae evenire potest vel non evenire. *Inhonestata* vero est *potestativa*, quae impleri nequit nisi honestatis legibus despectis; quemadmodum *impossibilis*, quae ex *natura rei* vel *de facto* impleri non potest; prout si dicas te velle digito coelum tangere, vel montem aureum in dotem afferre. Quamvis quandoque dicatur impossibile quod contra leges est; id enim non posse censemur quod lege non licet. Contra substantiam matrimonii proprie loquendo ea est conditio in pactum expresse deducta, qua mulier in antecessum a se abdicat potestatem in corpus viri, et vir similiter potestatem in corpus mulieris, sicut ostendit Benedictus XIV *De Synod. dioeces. lib. 13 cap. 22 num. 10*. Cui juxta nonnullos Canonistas affinis est altera conditio « qua contrahentes hujusmodi potestatis usum et actum quemlibet sibimet in antecessum interdicit » de qua deinde agemus. Contra bona autem matrimonii eae sunt conditiones, quae adversantur triplici ejus bono, nempe *prolis, fidei et sacramenti*. Primum enim bonum matrimonii est *procreatio et educatio prolis*, proinde omnes conditiones, quae opponuntur procre-

ationi prolis, vel ejus conservationi, ut de procreatione abortus, prolis natae suffocatione aut alia occisione dicuntur esse huic bono contrariae. Aliud bonum est mutua fidelitas, cui adversantur quaecumque conditiones de ea fide frangenda. Tertium bonum dicitur sacramenti, hanc enim indissolubilitatem matrimonium christianorum omnimode consecutum est ex elevatione ad sacramentum quam antiquitus habebat sed per libellum repudii dimissam; ut proinde non sit casus, quo matrimonium christianorum consummatum resolvatur nisi morte interveniente. Cui bono adversantur illae omnes conditiones, quae de hac resolvenda individua vitae consuetudine disserunt praeter casum mortis. - Affinia conditionum sunt: - (a) *modus* qui est qualitas adjecta dispositioni, vel adjectio oneris, ad quod post contractum perfectum volumus obligare contrahentem, ut « *duco te, ut mihi procures officium.* » Modus proinde supponit dispositionem perfectam. - (b) *Causa* est ratio, ob quam contractus initur, ut: « *duco te quia dives es.* » - (c) *Demonstratio* demum est qualitas, per quam determinatur vel demonstratur persona, cum qua contractus initur, uti « *duco te, quae filia es principis.* »

3.º Quibus praemissis de conceptu conditionis et affinium, loquendum nunc est, nempe de vi sponsalium et matrimonii sub conditione initi. Et primo loquimur de conditione honesta et possibili. Nemo umquam negavit posse sponsalia iniri sub

hac conditione, solum de aliqua conditione quaeri potest an sit honesta vel turpis; quod tamen dependet a modo verificationis, prout de conditione: « si virgo es », et tunc ea sponsalia vim habebunt, cum conditio verificata est, tunc enim fiunt absoluta, et utrumque producent effectum nempe impediendi impediens et dirimentis. At antequam conditio fuerit impleta neutrum impedimentum enascitur, sed tantum obligatio contrahitur attendendi adimplementum conditionis, quae adeo urget ut posteriora quaevis sponsalia reddat invalida inita primis adhuc non resolutis, prout demonstrant Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num. 54*. Idem dicendum circa matrimonium, etsi enim non liceat absque gravi causa matrimonium sub conditione etsi honesta et possibili contrahere, atque Ecclesia id indiscriminatim non sinat propter abusus, qui possunt irrepere, id tamen ex causa permittitur, et quantumcumque illicitum matrimonium sub tali conditione editum semper est validum, cum conditio verificata est, atque tunc omnes habentur effectus matrimonii validi. Ita formiter decisum esse in *cap. 5 h. t.* communiter censent Doctores. Tantummodo quaestio inter eos erat: an tempore verificatae conditionis deberet iterari consensus, vel sufficeret perseverantia in primo; quae difficultas praesertim vires habuit post Concilium Tridentinum, quod voluit matrimonium iniri coram Parocho et testibus. Verum cum talis casus fuisset oblatus S. Congregationi

Concillii, prout refert Fagnanus *ad cap. 5 h. t. num. 2 et seqq.* decisum fuit non esse necessariam iterationem consensus, atque decisio fuit a Clemente VIII probata, quamvis noluerit hanc decisionem omnibus casibus inservire, sed omnes qui acciderint in futurum cum suis circumstantiis esse specialiter considerandos. Antequam vero impleatur conditio, matrimonium adhuc non est, ita ut si interim aliud matrimonium concilietur quantumvis illicitum, quia necessarium est attendere verificationem conditionis, est tamen validum, nec irritum fit verificata postea conditione primo matrimonio injuncta, quia secundum initum est primo nondum valido. De matrimonio vero cum duabus cum conditione in futurum pendente contracto tutius cum Schmalzgrueber *h. t. num. 56 et 57* tenemus illud praevalere, cujus conditio prius verificata est; sed si conditiones eodem tempore verificentur, tunc neutrum est validum cum utrumque matrimonium tali casu esset incertum.

4.º Quid porro dicendum est de matrimonio et de sponsalibus actis cum conditione inhonesta aut impossibili? Si ea simpliciter inhonesta sit aut impossibilis habetur pro non adjecta, ac proinde matrimonium est jam ab initio absolutum et validum. Id expresse constat ex *cap. 7 h. t.*, atque dicitur receptum in favorem matrimonii, quod sic explicatur. Cum enim dubitari facile possit an talis conditio impossibilis vel simpliciter turpis serio vel per jocum a contrahentibus fuisset apposita, et ex

altera parte periculosum esset ea matrimonia dissociare, de quibus non constat quod invalida sint, maluit Ecclesia interpretari mentem contrahentium et statuere eam conditionem potius praesumendam esse adjectam ex joco; cum qui serio eam conditionem matrimonio apposuit, facile posset vitare periculum animae si conditione rejecta absolute in matrimonium consentiret. Ex quo sequitur Ecclesiam in hoc casu non supplere consensum, sed praesumere fuisse absolute praestitum, quae praesumptio ex jure positivo est inducta in favorem matrimonii. Est vero praesumptio *juris tantum*, non etiam *de jure*; proinde valet solummodo *in dubio*, et admittit probationes in contrarium, et tunc deciditur pro invaliditate matrimonii, quia serio adjecta conditione, usquedum ea non verificatur, non habetur consensus, qui suppleri neque ab Ecclesia potest. Hinc haberi potest oppositio inter iudicium fori interni et externi, si quis probare nequit a se fuisse serio conditionem appositam. - Controvertitur a Doctoribus: an hic favor sit pro sponsalibus concessus ut pro matrimonio? Probabilior in puncto juris est opinio negativa, quam defendit S. Thomas *in 4 dist. unic. art. 3*, eumque secuti plures Doctores. Cum siquidem canon loquatur simpliciter de matrimonio, ad sponsalia trahi non debet, nisi habeatur saltem eadem ratio; quod in casu non subsistit, non enim est tam periculosum irrita supponere sponsalia, quae fuissent valida. Hinc est quod sponsalia sub

conditione impossibili inita sunt nulla, prout deciditur de aliis contractibus, quia adjectio conditionis impossibilis potius dissensum quam consensum naturaliter denotat, et ex altera parte non habetur favor juris positivi. At si conditio est simpliciter turpis, tunc post ejus *tantum* eventum habetur obligatio ex sponsalibus, licet ante conditionis eventum non habeatur obligatio ad expectandum eventum, cum inducat ad peccatum, ad quod obligatio nulla datur. - Hic videtur esse locus pertractandae antiquae quaestionis: an inter habentes impedimentum dirimens valida sint sponsalia sub conditione si Pontifex dispensaverit? Qua super quaestione etsi antiquitus jam fuisset data a Doctoribus responsio affirmativa cum congruis limitationibus, hodie iterum concertatio efferbuit adductis in contrarium nonnullis rationibus magis speciosis quam efficacibus et allegatis quibusdam auctoritatibus, quae ad rem non faciunt. Asserimus ergo, quod si agatur de impedimento dirimente, in quo Pontifex *possit et soleat* dispensare *simulque habeantur rationes sufficientes ad petendam et impetrandam dispensationem*, valida inter eos erunt sponsalia sub hac conditione edita « si Pontifex dispensaverit » sed istorum sponsalium validitas tunc habetur, quando dispensatio extitit sicut verificatur in quibusvis sponsalibus sub honesta et possibili conditione editis, quae adimpleta conditione firmantur. Unusquisque profecto intelligit rationabilitatem limitationum, quae proposi-

tioni appositae sunt. Frustra enim quaereretur dispensatio in impedimento dirimente aut juris divini positivi aut juris naturalis, in quibus Pontifex dispensare nequit, et proindeabilitas personarum non posset haberi: sicut frustra quaereretur dispensatio in impedimento juris ecclesiastici, in quo tamen Pontifex non solet dispensare prout est primus gradus affinitatis in linea recta ex copula licita, in quo S. Sedes numquam dispensavit; quemadmodum demum frustra quaereretur dispensatio etiam in impedimento, in quo Pontifex solet dispensare, si non haberentur causae legitimae ad petendam dispensationem, cum Pontifex non dispenset sine congrua et legitima causa. Hisce autem limitationibus positis conclusio est vera, cum illa conditio sit possibilis et honesta, ac proinde sponsalia, quibus adjicitur, consistunt, eaque dispensatione impetrata sunt obligatoria. Neque est insuetum quod alii etiam actus tam inter vivos quam mortis causa compleri valeant sub conditione dispensationis vel consensus praestandi a principe, praesertim quando in tali re se exorabilem Princeps exhibuit; ut in re matrimoniali, in qua Doctores Practici expendunt causas, quibus existentibus solet a Pontifice concedi diversorum impedimentorum dispensatio. Id tamen est advertendum non statim ea sponsalia valere cum eduntur, sed tunc tantum cum conditio apposita verificata est, et tempore intermedio incurritur obligatio procurandi dispensationem

ejusque exitum attendendi. Neque cum verificata est conditio est necessarium quod sponsalia a contrahentibus confirmentur ut valeant; sufficit enim perseverantia antiqui consensus, qui adimpleta conditione ex conditionali vertitur in absolutum. Si quis vero a sponsalibus recedat ante impletam conditionem, profecto hic sustinere potest se non contraxisse sponsalia valida, quia nondum ea nata erant validitatem non expleta conditione. Atque hunc casum respiciunt omnes allegatae auctoritates ex decisionibus Rotae Romanae et S. Congregationis Concilii citatis a Schmalzgrueber *h. t. num. 81 et seqq.* et a Gury cum Ballerini *De matrimonio num. 725 quaer. 4 nota (a)*, proinde non ostendunt, quod ab allegantibus intenditur.

5.° Si demum conditiones appositae sunt contra substantiam vel bona matrimonii, censendum est ex *cap. 7 h. t.*, quod qualiscumque sit favor matrimonii, illud tamen nullum omnino reddant. Quod intelligitur, cum talis conditio apposita sit ab ambobus contrahentibus; si enim ab uno tantum fuerit adjecta altero contradicente aut saltem tacente, matrimonium valet, cum censeatur ab ea conditione recessisse posita contradictione aut taciturnitate alterius, atque matrimonium simpliciter vel absolute contrahere, prout cum communi tenet Fagnanus *in commentar. ad cap. 7 h. t. num. 4* in favorem matrimonii fuisse receptum. Quod autem in tali hypothese matrimonium sit

invalidum non est speciale huic contractui, neque ex jure positivo, sed generale cum omnibus aliis contractibus et ex jure naturali. Etsi enim permissum sit apponere contractibus conditiones, quae quomodolibet modificent eorum obligationes, non tamen admittitur, quod inserantur conditiones eorum substantiae oppositae, ut puta quod contractui emptionis inseratur pactum ut emptor rei venditae dominium nullo pacto acquirat. Id enim si admitteretur, voluntas in contraria eodem actu et tempore traheretur, seu aliquid vellet et simul non vellet, quod est contradictorium. Plures porro sunt istae conditiones, nec solummodo illae, quae referuntur a Gregorio IX *in cit. cap. 7 h. t.*, neque omnes inhonestae, sed possunt esse quoque honestae, cum non sit earum inhonestas, quae nocet, sed quod sunt aut substantiae aut bonis matrimonii contrariae. Prima quae notatur est, qua contrahentes a se in antecessum abdicant potestatem in corpus alterius: et jure quidem, cum contractus matrimonialis importet essentialiter potestatem in corpus alterius ad actus de se aptos ad proles generationem, sine qua potestate nequit concipi matrimonium, et haec vocantur jura conjugum. Hanc vero conditionem utpote contrariam substantiae matrimoni illud reddere invalidum confirmatum est ex celebri decisione S. Congregationis Concilii in *Causa Ulyssipon. Occident.* proposita et resoluta sub die 8 Julii anni 1724, quam refert Benedictus XIV *de Synod. dioeces. lib. 13 cap. 22*

num. 10. Atque de hac re amplius dubitari nequit. Quod adhuc anceps penes Doctores existit, est judicium conditionis, qua contrahentes in antecessum sibi interdiciunt hujusmodi potestatis usum et actum quemlibet. Haec altera conditio juxta nonnullos Doctores identificatur cum prima et non minus est contraria substantiae matrimonii, cum sibi asserere potestatem, eodemque momento sibi quemlibet actum vel usum istius potestatis ex pacto interdiciere idem sit ac illam potestatem sibi non acquirere, quod est contra substantiam matrimonii ex dictis, quodque non verificatur cum tempore successivo sive singillatim, sive ex condito conjuges usui matrimonii renuntiant. Alii vero Auctores acriter dimicant contententes hanc conditionem esse toto coelo a prima diversam, et cum ea posse matrimonium vere subsistere; prout defendit Ballerini apud Gury *De matrimonio num. 752 nota (c)*. Disputationi Doctorum hanc quaestionem relinquimus; atque id tantum notamus, eos qui pro admissione talis conditionis pugnant non posse suam opinionem eo argumento firmare, quod in altera hypothesis actum esset de veritate matrimonii inter B. Mariam Virginem et S. Josephum; quaecumque siquidem teneatur sententia sive de validitate sive de invaliditate matrimonii sub illa conditione, semper inconcussa manet veritas praefati matrimonii, prout Benedictus XIV perspicue demonstrat *op. et cap. cit. num. 13* his verbis: « Qui affirmant, Beatis-

» simae Virginis matrimonium cum Sancto Jose-
 » pho in solis sponsalibus constituisse, ii temere
 » falsoque opinantur. Itaque pro certo tenendum
 » est, primo, matrimonium inter eos contractum,
 » fuisse verum et ratum: secundo, Beatissimam
 » Virginem, antequam cum Sancto Josepho ma-
 » trimonio conjungeretur, votum quidem emisisse
 » castitatis perpetuo servandae, ea tamen addita
 » conditione, si ita Domino placuisset; nam sub
 » mosaica lege oportebat generationi insistere tam
 » mulieres, quam viros: tertio, cum eadem Bea-
 » tissima Virgo, ante celebrationem matrimonii,
 » ex peculiari revelatione intellexisset, suum con-
 » servandae castitatis propositum divinae volun-
 » tatis assensu comprobari, hujusmodi voto jam
 » se absolute obstrinxisse: quarto, ante ipsum
 » quoque matrimonium, Deo pariter revelante,
 » manifestatum Beatissimae Virgini fuisse simile
 » Sancti Josephi propositum de servanda in ma-
 » trimonio Virginitate: denique, cum Beatissima
 » Virgo Sanctusque Joseph in matrimonium sese
 » conjunxerunt, nullam omnino apposuisse con-
 » ditionem, idque satis est, ut affirmemus, nihil
 » ex eo matrimonio colligi posse, quod veritatem
 » illam evertat, scilicet nullum et irritum esse
 » matrimonium, in quo contrahendo adjicitur con-
 » ditio aliqua illius substantiae contraria. Haec
 » est Sancti Thomae doctrina *in 4 sent. dist. 30*
 » *quaest. 2 art. 1 ad. 2.* En ejus verba: *Beata*
 » *Virgo, antequam contraheret cum Joseph, fuit*

» *certificata divinitus, quod Joseph in simili pro-*
 » *posito erat; et ideo non se commisit periculo*
 » *nubens: nec tamen propter hoc aliquid veritati*
 » *deperiit; quia illud propositum non fuit condi-*
 » *tionaliter in consensu appositum: talis enim con-*
 » *ditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet*
 » *prolem procreandam, matrimonium tolleret.* »

6.º Quod vero attinet ad condiciones contra-
 rias bono prolis, quia uni ex tribus bonis prin-
 cipalioribus et substantialibus matrimonii oppo-
 nuntur, reddunt pariter invalidum contractum.
 Neque interest an illae condiciones sint turpes,
 vel non, dummodo sint in pactum deductae. Si-
 militer dicendum est de conditionibus, quae op-
 ponuntur bono fidei, aut sacramenti, quae sunt
 alia duo bona matrimonii principaliora et substan-
 tialia. Circa hoc tamen recte perpendendum est,
 quod Benedictus XIV *op. et loc. cit. num. 7* notat,
 nempe distinguendum esse errorem particularem
 ab apposita conditione. Si enim utraque pars vel
 una ex contrahentibus in errore sit vel circa sub-
 stantiam vel circa unum ex substantialibus bonis
 matrimonii, puta de matrimonio in casu adulterii
 resolvendo, non est statim concludendum matri-
 monium celebratum esse invalidum, sed dispi-
 ciendum est an fuerit expresse in pactum id de-
 ductum, vel non. Et porro si est in pactum id de-
 ductum, certissime matrimonium est invalidum,
 quia quicumque contractum vult, necesse est ut

eius substantialia velit; conditio autem de resolvendo conjugio per adulterium opponitur bono sacramenti. At si expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matrimonii vinculum per adulterium dissolvi posset, nihilominus locus est praesumptioni, ut, dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum, ac, interveniente etiam adulterio, insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente: quo fit, ut matrimonium ita contractum, validum firmumque maneat. Quam doctrinam secuta est semper ac constanter Congregatio S. Officii, quoties sese obtulit decidenda validitas matrimonii vel inter duos Calvinistas vel inter Calvinistam, qui tali errore infecti sunt et Catholicum prout eo loci refert Benedictus XIV *cit. loc.* Haec autem omnia valent *ratione praesumptionis et in foro externo*; nam in foro interno si utraque contrahentium pars aut una saltem vellet contrahere cum errore circa substantiam vel circa unum ex bonis substantialibus matrimonii, adeoque insisteret in hoc errore non contracturus, si aliter res se haberet, ut dici posset error hic esse non concomitans sed antecedens, tunc in foro conscientiae hoc matrimonium esset

invalidum juxta Sanchez et De Lugo apud Balzerini in Gury *De matrimonio num. 752 nota (a)*. Imo si et in foro externo probari id possit, neque in foro externo subsisteret hoc conjugium: quod tamen difficillimum probatu est. Hinc intelligitur clare invalidum esse conjugium si pagani aut judaei contrahant matrimonium ea conditione, ut possint dare libellum repudii, de qua quaestione agit Schmalzgrueber *h. t. num. 129 et seqq.* Demum ex dictis patet responsio ad quaestionem: an quoque sponsalia vitientur, seu redantur nulla per conditionem contrariam substantiae et bonis matrimonii? Nam si haec conditio adimpleri debet post matrimonium contractum et sic in sponsalibus cavetur, neque valent sponsalia, quippe habetur promissio contractus cum conditione contraria substantialibus contractus ejusdem. At si conditio sit adimplenda ante matrimonii conclusionem, tunc erunt sponsalia invalida, si ea adversetur bono prolis vel bono fidei, non autem si adversetur bono sacramenti, quia sponsalia sunt de se resolubilia, quemadmodum cum communi Doctorum docet Schmalzgrueber *h. t. num. 132 et seqq.*

7.º Demonstratio aut causa sive turpis sit sive honesta, vera aut falsa *per se* numquam suspendit vel vitiat matrimonium, sed semper habetur pro non adjecta; nam per adjectionem demonstrationis vel causae non tollitur consensus

necessarius ad substantiam contractus. Diximus *per se*; nam si demonstratio vel causa additur ad modum conditionis, cui alligatur consensus; aut falsa causa vel demonstratio includeret errorem, qui refunditur in personam; tunc in utroque casu falsa demonstratio vel causa vitaret matrimonium, prout hoc vitatur ex non verificata conditione, cui alligatur consensus, sive ex errore, qui refundatur in personam; sicuti loquitur cum communi Sanchez *de matrimonio lib. 5 disp. 19 num. 2*, Pirhing *h. t. num. 29*, aliique. Modus pariter sive honestus vel turpis matrimonium non vitiat, quia non tollit vel suspendit voluntatem contrahendi. At si est contrarius substantiae aut bonis matrimonii, tunc annullat matrimonium ex *cap. 7 h. t.*; quia quando contrahens vult alterum obligari ad praestandum aliquid repugnans ipsi substantiae contractus, satis significat se non habere veram ac seriam voluntatem ineundi talem contractum; at vero sine consensu contractus non subsistit. - Ultimo quaeritur quam vim habeant sponsalia vel matrimonium contractum in diem certum vel incertum? Et convenit inter Doctores dispiciendum esse an dies sit *terminus a quo* incipiat contractus, vel *terminus ad quem* contractus finiatur. Hoc autem posito dicendum est primo modo diem adjectum habere *vim conditionis suspensivae*, et facere ut ante diem signatum obligatio matrimonialis aut sponsalitia non enascatur: secundo autem

modo diem adjectum habere vim *conditionis resolutivae*, ac consequenter sponsalia de futuro posse hoc modo contrahi, at non matrimonium, quod semel initum non patitur conditionem resolutivam, sed semper permanet.

TITULUS VI.

*Qui clerici vel voventes
matrimonium contrahere possunt.*

1.° Cum in Libro III actum sit de matrimonio antecedente conversionem ad clericatum vel ad religionem, hic agitur de matrimonio, quod consequitur susceptionem ordinis aut editionem professionis religiosae; proinde agitur de impedimento dirimente ordinis et professionis religiosae.

2.° Per ordinem sacrum, nempe Presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum dirimi matrimonium postea contrahendum hodie certum est atque definitum a Concilio Tridentino *sess. 24 de sacramento matrimonii can. 9*, et jam certum erat ex *cap. 1 et 2 h. t. ac can. 1 et 4 dist. 32 in Decreto*. Consulto diximus de matrimonio postea contrahendo, quia ordo sacer non dissolvit matrimonium jam antea valide contractum etsi fuerit

simpliciter ratum, prout edocemur ex *Constit. Extrav. un. Joannis XXII de voto*. Cum vero id non proveniat ex natura ipsa Ordinis Sacri aut ex mandato divino, quod pluribus demonstratur, et praecipue ex eo quod Ecclesia in hoc dispensat, verum tantummodo ex lege ecclesiastica; disputant Doctores inter se, quo primum tempore id fuerit constitutum. Perpetuae continentiae custodiam divinis sacrorum ministeriorum institutionibus maxime consentaneam in Ecclesia Latina jugiter fuisse servatam ab Episcopis, presbyteris et diaconis, ut non modo a conjugiiis deinde ineundis abstinerent, sed et a contractorum usu prohiberentur indubitata res est. Et quoniam non constat quo primum tempore canones ad hanc rem conditi fuerint, et usus latinorum, imo et universarum ecclesiarum occidentalium talis apparet, ut ejus initii nulla extet memoria, facile concluditur, eum ab ipsa apostolica aetate, aut ad ipsa apostolica tempora valde proxime invaluisse; praesertim cum et Apostolorum praxi firmetur. Hanc rem docte pertractat Berardus De Conjugiorum juribus *dissertatione IV cap. V*. Hanc legem continentiae fuisse a Romana Ecclesia subdiaconis impositam constat ex *can. 1 distinct. 28*, ex *can. 1 distinct. 31* et *can. 1 distinct. 32*, quae serius ad alias Ecclesias traducta est, nempe saeculo sexto in Hispaniam *can. 5 dist. 37*, saeculo septimo in Siciliam *can. 1 dist. 31* et *can. 2 dist. 32*, et paullatim in alias provincias, donec tandem factum est, ut

id in universum Occidentem et generaliter ac sine discrimine custodiretur *can. 2 dist. 28 et can. 10 et 11 dist. 32*, ex quo etiam profectum fuit, ut postularent subdiaconi se inter sacros ministros accenseri, quoniam exinde *sacer* ordo subdiaconatus dici poterat. Disciplina graecae Ecclesiae consonavit perpetuo cum disciplina latinorum quoties de Episcopis ageretur; his enim neque licitum aliquando fuit uxores ducere, neque nuptiis ante ordinationem contractis uti, quamvis remissior fuerit respectu presbyterorum, diaconorum et subdiaconorum saltem post Concilium Trullanum; his enim quamquam interdictum fuerit matrimonia post ordinationem contrahere, indultum tamen est, ut conjugii ante ordinationem contractis uterentur. Primis autem Ecclesiae saeculis matrimonia clericorum majorum ut illicita non constat fuisse constituta invalida, eo quod id non legimus. Exinde mihi videtur probabilior sententia Berardi, qui putat id primo factum esse ex lege Imperatoris Justiniani ab Ecclesia receptae et canonizatae, quae deinde saeculo XII et sequentibus in vigorem revocata est aliis pontificiis decretis. Citatus auctor sic loquitur: - « Primum irritatae fuisse videntur » majorum clericorum nuptiae lege Imperatoris Justiniani, qui cum plurimas edidisset favore Ecclesiae constitutiones, etiam in hac parte nihil » omisit, in quo cleri decus a quibusdam sacrilegis neglectum restitui quoquo modo posset. » Ipse in *L. 45 cod. de episc. et cler.* animadvertens

» satis non fuisse poenis canonicis, quae in sola » gradus amissione consistebant, terrere clericos » libidini deditos, amplius progrediendum voluit, » nimirum confirmata eadem Canonum poena, de » crevit praeterea, ut conjugium irritum esset, » quod indicavit, cum expresse dixit, liberos, qui » ex eo nascerentur, legitimos ac proprios non fore, » sed tanquam tales habendos, ac si ex incestis » et nefariis nuptiis progeniti essent, ita ut neque » naturales, aut nothi, seu spurii intelligerentur, » sed prorsus et undique prohibiti, et nihil de paterna successione sperarent. Exinde liquet, non » satis probari posse illorum opinionem, qui scripserunt saeculo primum undecimo ea conjugia » irritata omnino fuisse sub Urbano II confirmata » disciplina a subsequentibus Pontificibus maximis » Callisto II et Innocentio II *can. 8 dist. 27, can. 2 dist. 28, can. 40 caus. 27 qu. I.* Non nova inducta his canonibus videtur disciplina, sed vetus » confirmata, aut restituta, quam ideo confirmare, » aut restituere necesse fuit, quod gravissimi essent » ferreis illis saeculis clericorum abusus, quorum » alii matrimonia passim contrahere non vererantur, alii in turpi concubinato versabantur, » non in eos animadvertentibus Ecclesiarum praelatis, aut parum tunc de sacra disciplina sollicitis, aut in eadem vitia pronis, dicto *can. 2 dist. 28, can. 15 dist. 81, can. 1 dist. 83* » et alibi pluries. - Ut sacri canones pressius urgerent clericos in majoribus ordinibus consti-

» tutos, onus ordinandis imposuerunt, ut conti-
 » nentiam se servaturos Deo promitterent, ac vo-
 » verent *canon. 1, 6 et 7 dist. 28*, quasi tunc
 » magis admoniti clerici viderentur, ne spem nup-
 » tiarum contrahendarum quandoque conciperent.
 » Hinc profecta quaestio est, an ex vi voti, an
 » potius ex vi susceptae ordinationis clerici a
 » nuptiis arceantur. Ex iis, quae hucusque tradita
 » sunt facile dirimitur quaestio: profluit enim in
 » primis, votum illud per se illicitas quidem red-
 » dere nuptias non vero penitus irritare; deinde
 » colligitur, nuptias ipsas non irritari ex vi ordi-
 » nationis, sed potius ex vi legis ab Ecclesia re-
 » ceptae, ac confirmatae. Quod si perspectum ha-
 » buisset Gratianus, non adeo laboravisset in di-
 » stinctione elucubranda votorum, quorum alia
 » dixit simplicia, alia non simplicia, sive solemnia,
 » distinctione, inquam, toti vetustati prorsus igno-
 » ta. Veniam demus collectori, qui reparare col-
 » lapsam studiorum disciplinam obscuro saeculo
 » invectis variis scholae accomodatis distinctio-
 » nibus voluit, neque aliter scivit veterum cano-
 » num sententias conciliare, quorum aliis post
 » votum irritae, aliis validae nuptiae declara-
 » bantur *can. 2 et 9, dist. 27*, quam priores in-
 » telligendo de solemnibus, posteriores de simplici
 » voto. Quod si hac invecta distinctione tenebris
 » obscurioribus rem offudit, quoniam solliciti in-
 » terpres statim investigare coeperunt, quoniam
 » vota solemnia, quoniam simplicia dicerentur,

» Bonifacius VIII disciplinae veteris puritatem re-
 » stituit, atque retenta nova illa distinctione, tan-
 » quam in scholis vulgata, et pene trita, votum
 » solemne dixit, sive quod in susceptione sacri or-
 » dinis, sive quod in professione religionis fieret,
 » cetera esse simplicia declaravit *c. un. de voto*
 » *in 6*, quod idem erat ac definire, tum demum
 » conjugia post votum irrita habenda esse, cum
 » legibus irritarentur; noverat enim jurisperitus
 » Pontifex, non alias voventium nuptias decretis
 » irritantibus a legibus fuisse improbatas, quam
 » eas, quae vel post susceptionem sacri ordinis,
 » vel post monasticam professionem contractae
 » fuissent. Exinde etiam colligitur, eum qui ea
 » mente ad sacram ordinationem accesserit, ut vo-
 » vere nullo modo vellet, imo et aperte profiteretur,
 » se nolle continentiae lege teneri, nihilominus ut
 » nullum sit votum, lege continentiae obstringi,
 » et contractas postea nuptias in irritum cadere,
 » quemadmodum et dicendum est de eo, qui votum
 » fieri ordinationis tempore debere ignoraverit. E
 » converso si quis ordinatur ita, ut ordinatio deinde
 » irrita dignoscatur, puta, quia ordinator non erat
 » Episcopus, licet continentiae votum emisisset, eo
 » non obstringetur adeo, ut nuptiae postea secutae
 » irritae habeantur. Idipsum dicendum puto, si
 » metu gravi quisquam ad ordinationem sacram
 » accesserit; ad hanc enim speciem pertinere non
 » videntur publicae leges, quae sacrorum admini-
 » strorum nuptias improbaverunt, nisi tamen ces-

» sante metu clericus ratum habeat libere, quod
 » egit, quemadmodum contingeret, si officium su-
 » scepto ordini adnexum sponte exerceret. »

3.º Ex quo talis sententia fuerit praelata al-
 teri edicenti fuisse irrita facta clericorum majorum
 connubia saeculo XII, facile intelligitur cur ea com-
 prehendat quoque Ecclesiam graecam. Certum enim
 est Canones a Latinis editos disciplinares post sae-
 culum IX non respexisse Ecclesiam graecam, quod
 ab omnibus admittitur. Quam sententiam secuta
 est S. Congregatio de Propaganda Fide in *Instru-*
ctione transmissa ad Archiepiscopum Provinciae
Ecclesiasticae Fogarasiensis et Alba-Julien-
sie die 24 Martii 1858; cujus tenorem praestat hic
 referre: - « Non latet Amplitudinem Tuam quantum
 » Apostolica Sedes elaboraverit, ut fideles cujus-
 » cumque ritus ac disciplinae, veluti membra
 » ejusdem mystici corporis sub uno in terris ca-
 » pite divina institutione conjuncta, in unitate spi-
 » ritus inviolate perstarent; atque ut etiam illi qui,
 » a veritate declinantes, ab unitate catholica disces-
 » serant, tandem aliquando ad Ecclesiae sinum
 » redirent; denique ut unitas fidei ac sanctitas di-
 » sciplinae ubique terrarum floreret. - Etenim cum
 » fides, per infallibile Ecclesiae magisterium pro-
 » posita, non humanis rationibus, sed divinis
 » prorsus oraculis Deique revelantis auctoritate in-
 » nitatur, unica omnino eademque apud omnes
 » esse debet qui Christi Corpus constituere et in
 » unico ejus ovile vivere exoptant: ecclesiastica

» vero disciplina, quamvis pro rerum ac temporum
 » varietate, sive pro diversa illustrioris alicujus
 » Ecclesiae traditione ac consuetudine, externam
 » veluti varietatem non respuat, tamen necesse
 » omnino est ut nil contineat quod non ejusdem
 » fidei sanctitati respondeat, nihil quod morum do-
 » ctrinae vel ecclesiasticae honestati adversetur. -
 » Quo autem consilio, qua pastoralis sollicitudine
 » id praestiterint, praesertim quoad orientales, Ro-
 » mani Pontifices, quibus divinitus commissa est
 » cura omnium Ecclesiarum, historiae ecclesia-
 » sticae monumenta luculenter ostendunt, et Be-
 » nedictus XIV, immortalis memoriae Pontifex,
 » in percelebri Encyclica « *Allatae sunt* » ob oculos
 » evidenter ponit quae dixerit quaeve constanter
 » egerit Apostolica Sedes a Nicolao primo Sanctis-
 » simo Pontifice ad sua usque tempora, ut orien-
 » tales ad unitatem fidei ac pristinam disciplinae
 » puritatem reduceret atque in ea firmissime so-
 » lidaret. - Qua in re omnis plane cura in eo col-
 » lata fuit, ut detersis erroribus quos, durante schi-
 » smate, inimicus homo clanculo supersemina-
 » verat, de cetero ritus orientalis qua in parte nec
 » fidei catholicae adversatur, nec periculum ge-
 » nerat animarum, aut ecclesiasticae derogat hone-
 » stati, inviolatus firmusque maneret. - Quod li-
 » bentissimo prorsus animo praestitit etiam SS.
 » D. N. Pius Papa IX decessorum suorum exi-
 » mius aemulator: vix enim S. Petri Apostolorum
 » Principis cathedram conscendit, orientales omnes

» ad peroptatam concordiam amantissimis plane
 » litteris excitare, jamque unitos favoribus augere
 » non destitit, id unum requirens, ut errores omni-
 » modi evellerentur, sed ritus orientalis maneret
 » inviolatus, quemadmodum et disciplina quam
 » ante schisma orientales servabant et profite-
 » bantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis li-
 » turgiis ac ritualibus innititur, religiose custodi-
 » retur. - Equidem non alio consilio novam eccle-
 » siasticam Provinciam, ab Alba-Julia dictam,
 » praelaudatus Pontifex instituit, quippe qui ex-
 » plicate mandavit, ut forma atque administratio
 » ad ritum et disciplinam Orientalis Ecclesiae exi-
 » geretur; ut insuper vel tali exemplo etiam dis-
 » sidentes allecti ac unitatis studio, aspirante Deo,
 » excitati, facilius in gremium catholicae unitatis
 » se reciperent. Quoniam vero disciplina istius Pro-
 » vinciae non satis apte in aliquibus ad exemplum
 » Orientalis Ecclesiae composita videbatur, ideo
 » Sanctitas Sua voluit, ut Episcopi memoratae
 » Provinciae una Tecum, collatis consiliis, rela-
 » tionem de his omnibus, appositis lucubrationibus
 » commentatam, exhibere curarent, ut inde, rebus
 » sedulo perpensis, opportune provideretur. - Quod
 » ubi accepit A. T. laudabili quidem sollicitudine
 » praestitit per litteras pridie Kalendas Decem-
 » bris 1856 datas perque insuper adjuncta folia,
 » ubi plura habentur quae disciplinam spectant
 » orientalem et consuetudines moresque istius no-
 » vae Provinciae. Porro Sanctitas Sua, cui nihil

» est potius quam ut disciplina orientalis in sua
 » puritate vigeat ac servetur, summopere in primis
 » desiderans, ut qui, vocante Deo, sacris addi-
 » cuntur ministeriis, nedum doctrina verum etiam
 » integritate vitae praefulgeant, ut verbo et exem-
 » plo fideles, quibus praesunt, possint instruere
 » in doctrina sana, et eos qui contradicunt, etiam
 » puritatis vitae exemplo arguere, voluit ut per
 » hanc S. C. de Prop. Fide quaedam interim Am-
 » plitudini Tuae ceterisque istius Provinciae Epi-
 » scopis significarentur quoad continentiam cleri-
 » corum, quaeve ad ea referuntur quae in prae-
 » dictis foliis a Te transmissis continentur Ti-
 » tulo IV « *De Matrimonio clericorum*, » in Epi-
 » stola vero § XII. - Qui germanam traditionem
 » de coelibatu ac continentia cleri sedulo expen-
 » derit, inveniet profecto vel a primis Ecclesiae
 » catholicae saeculis, si non generali et explicita
 » lege, moribus saltem ac consuetudine fuisse fir-
 » matum, ut nedum Episcopi et Presbyteri, sed
 » ut clerici in sacris constituti virginitatem vel per-
 » petuam continentiam inviolate servarent. Eadem
 » quippe sacri ministerii dignitas, cui officia prope
 » divina tribuuntur, id exigere videbatur, ut qui
 » immolare ac etiam producere deberent immacu-
 » latam victimam, quae ipsa est sanctitas ac pu-
 » ritas, aut virginitatis candore aut perpetua con-
 » tinentia niterent. Amplissima insuper Sanctorum
 » Patrum traditio vel virgines vel post nuptias per-
 » petuo continentes demonstrat Apostolos, unde

» et ipsi non alios sibi successores adscivere quam
 » qui virginitatem coluissent aut inviolatam con-
 » tinentiam profiterentur. Hic non immorandum
 » quid Apostolorum exemplo ac institutis edocta
 » egerit ac docuerit Romana Ecclesia ceterarum
 » Mater ac Magistra, quippe quae nunquam illam
 » servandae castitatis obligationem intermisit, per
 » totam occidentalem Ecclesiam salubriter propa-
 » gavit, ac tandem inviolabili lege sancivit. Sed
 » et apud orientales coelibatus aut continentia cle-
 » ricorum, praeterquam quod maximo fuit semper
 » in honore, antiquissimo ab usque tempore, in
 » Ecclesiis praesertim ubi disciplina Episcoporum
 » sedulitate florebat, religiose servabatur. Epipha-
 » nius siquidem, vir sanctitate ac doctrina insignis,
 » quique Orientalis Ecclesiae disciplinam optime
 » norat, in expositione catholicae fidei (n. 21) con-
 » ceptis verbis affirmat « Sacerdotium ex virginum
 » ordine praecipue constare, aut si minus... ex
 » his qui a suis uxoribus continent, aut secundum
 » unas nuptias in viduitate versantur. » Principio
 » etenim, prout loquitur Hieronymus « quia rudis
 » ex gentibus constituebatur Ecclesia » ad Sacer-
 » dotium aliqui etiam assumebantur qui jam ma-
 » trimonio juncti fuerant, sed vel in viduitate con-
 » tinentes vel vitam ita debebant quasi uxores non
 » haberent. Unde idem Epiphanius (*haeresi* 59)
 » diserte fatetur quemadmodum « Sancta Dei prae-
 » dicatio in Diaconum, Presbyterum, Episcopum
 » et Hypodiamonum non suscipit unius uxoris

» virum liberos adhuc gignentem, sed eum qui
 » se ab unica continuit aut in viduitate vixit, ma-
 » xime ubi sinceri sunt canones ecclesiastici. »
 » Neque contraria alicujus Ecclesiae particularis
 » consuetudo seu inobservantia quidquam obstat,
 » dum sermo instituitur de disciplina Ecclesiae
 » Orientalis; etenim apposite idem Epiphanius pro-
 » sequitur « At dices mihi: omnino in quibusdam
 » locis liberos adhuc gignere Presbyteros, Dia-
 » conos et Hypodiamonos: at hoc non est juxta
 » canonem, sed juxta mentem hominum. » Qua-
 » propter ambigi nequit quin Epiphanius tempore
 » clerici (ab Hypodiamono ad Episcopum) coeli-
 » batus vel continentiam colerent. Quod aptissime
 » firmari etiam potest testimonio Hieronymi, qui
 » ob diuturnam in oriente commorationem, illius
 » Ecclesiae mores ac disciplinam perfectissime no-
 » verat: porro S. Doctor Vigilantio, clericali con-
 » tinentiae infensissimo, praeter alia argumenta,
 » factum opponit universalis Ecclesiae: « Quid fa-
 » cient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis
 » Apostolicae, quae aut virgines clericos accipiunt
 » aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti
 » esse desistunt? Haec denique universalis Eccle-
 » siae traditio, hi mores erant ubi purior disciplina
 » vigeat. » - Putant quidam graecorum et nimis
 » confidenter asserunt, Episcopos in Oriente sponte
 » sua, non aliqua lege adstrictos servasse conti-
 » nentiam, quam dicunt primo in Trullana Synodo
 » fuisse sancitam: ast praeter clarissima Patrum

» testimonia vel ipse Justinianus qui longe ante
 » trullanos canones leges disposuit, quique profi-
 » tetur, se esse priorum Canonum executorem,
 » non semel inculcat, ut Episcopi vel ex ordine
 » eligantur monachorum, vel ex clero quidem sed
 » ii qui neque filios, neque uxorem habeant, aut
 » illi saltem non cohaereant. Eadem insuper viget
 » disciplina apud sectas orientales quae vel ante
 » Justiniani tempora ab unitate defecerant, omnes
 » quippe in eo conveniunt, ut Episcopi eligantur
 » coelibes. - Longe aliter accidit quoad Presbyteros
 » aliosque clericos; etenim quae erat tempore Epi-
 » phanii inobservantia seu laxa alicujus Ecclesiae
 » particularis consuetudo, ita tractu temporis ra-
 » dices agere ac propagari cepit, ut tandem totam
 » pene orientalem Ecclesiam pervaserit; et invale-
 » scente consuetudine, quod tantum Cantoribus Le-
 » ctoribusque permissum erat, etiam Presbyteris
 » tributum fuit aliisque clericis in sacris consti-
 » tutis, ut nimirum cum uxoribus, quas ante
 » sacram ordinationem duxerant, consuescerent.
 » Quinimo eo usque in aliqua Provincia Orientali
 » se protulit laxioris disciplinae aestus, ut nonnulli
 » etiam post sacrorum ordinum susceptionem ma-
 » trimonium attentare praesumpserint; quod tamen
 » utroque iure, Ecclesiastico videlicet ac Caesareo,
 » et quidem ante trullanos canones, severe ac sub
 » gravissimis poenis improbatum prohibitumque
 » fuit, ut vel ipsae Justiniani leges luculenter
 » ostendunt. Etenim praefatus Imperator graviter

» conqueritur de quibusdam clericis, qui, *despi-*
 » *cientes sacros canones* post ordinationem nuptias
 » attentare praesumpserant. Sacri siquidem Ca-
 » nones severe vetabant sub poena privationis sacri
 » ministerii, ne qui ex Presbyteris, Diaconis ac
 » Subdiaconis post hujusmodi ordinationem con-
 » jugari possent; unde, prosequitur idem Justi-
 » nianus « quemadmodum sacris canonibus prohi-
 » bita sunt talia, sic et secundum nostras leges
 » rem ipsam prohiberi » et canonicas poenas ci-
 » vilibus cumulans, filios ex tali nefaria conjun-
 » ctione susceptos illegitimos decernit ac si ex in-
 » cestuoso conjugio prognati essent « ita ut neque
 » naturales aut nothi seu spurii intelligantur, sed
 » prorsus et undique prohibiti, et successionis ge-
 » nitorum indigni » Hactenus Justinianus. Et
 » quamvis in juribus ecclesiasticis, ut rectis-
 » sime loquitur Benedictus XIV, potestati lai-
 » cae sola relicta sit gloria obsequendi, non au-
 » ctoritas imperandi, tamen in re, da qua agitur,
 » Imperator loquitur relative ad Sacros Canones. -
 » Neque obstat quod Provinciale Concilium Ancy-
 » ranum Canone X Diaconis, si in ordinatione
 » contestati fuerint se non posse continere, per-
 » misit ut vel post ordines susceptos matrimo-
 » nium contrahere possent: esto enim quod canon
 » ille concessionis vim habuerit pro Ancyrana Pro-
 » vincia, non poterat certe Orientalis Ecclesiae di-
 » sciplinam immutare et revera non immutavit,
 » prout perspicuis verbis una testantur Epipha-

» nius, Hieronymus aliique Patres, et ipse Imperator apertissime tuetur. Quapropter vel ipsa Trullana Synodus canone VI sub depositionis poena generatim decernit, ut nulli penitus Subdiacono, vel Diacono aut Presbytero post ordinationem nuptias contrahere liceat; unde etiam graecorum canonistae ultro fatentur canonem concilii Ancyрани a Quinisesto fuisse penitus abrogatum. - Quae cum ita sint facile quisque videt quantum a germana Orientalis Ecclesiae disciplina sit alienus mos ille, ut hypodiaconi, contrahentes post hujusmodi ordinationem matrimonium, ad superiores ordines promoveantur cum hoc vel ab ipsa Trullana Synodo penitus abhorreat. - Quapropter Sanctitas Sua, cui summo opere est cordi, ut mores istius Provinciae, quacumque corruptela detersa, ad normam purioris disciplinae orientalis componantur, haud potest quin meritis laudibus prosequatur Amplitudinis Tuae propositum iterato firmatum, neminem scilicet deinceps admittendi ad sacros ordines, nisi aut penitus coelibem aut eum qui ante hypodiaconatum, juxta morem orientalem, legitimam uxorem duxerit. Hic igitur Amplitudo Tua ceterique istius Provinciae Antistites in proposito permanentes firmiter state, hinc haere. - Quoad eos vero clericos qui jam post subdiaconatus ordinem nuptias contraxere, et pro quibus Ampl. T. enixe supplicat ut pro hac vice, ex Apostolica dispensatione, licite pro-

» moveri possint ad superiores ordines: Sanctitas Sua, attentis omnibus, et ex speciali gratia benignè dispensavit, ut quatenus nihil aliud obstet, licite promoveri possint ad Diaconatus ac Presbyteratus ordines, ac valeant insuper in conjugio jam contracto permanere. Haec autem Apostolicae Sedis indulgentia illos tantum respicit clericos, de quibus expresse loquitur memorata Epistola tua. - Ceterum SS^{ms} D. N. vehementer hortatur in Domino Amplitudinem Tuam et Venerabiles Episcopos istius Provinciae, Vobisque addit animos, ut maiori usque alacritate ministerium vestrum implentes, sedulo nitamini, ut clericorum continentia purior floreat ac ad normam genuinae orientalis disciplinae restituta inviolate persistat. Quod si aliqui deinceps (quod Deus avertat) post sacros, ut praefertur, matrimonium attentare praesumpserint, decernit Sanctitas Sua, ut ad tramites Sacrorum Canonum severe puniantur, ut quos studium servandae disciplinae ac amor continentiae non movet, vel poenarum timor compescat. - Haec sunt quae Sanctitas Sua Tibi et R^{ms} Episcopis istius Provinciae significare mandavit. Quoad reliqua opportune providebitur. Interim haec Sacra Congregatio Amplitudini Tuae ceterisque provincialibus Episcopis ac gregi concredito omnia bona ac felicia in Domino adprecatur. - Datum *die 24 Martii* 1858. » - Cohaerenter ad hoc cum S. Sedes fuisset rogata pro dispensatione

favore Sacerdotis Pauli Papp Dioecesis Rumenae Magni Varadini directa ad legitimationem secundi matrimonii ab ipso attentati cum muliere vidua alterius Sacerdotis, editum est responsum a S. Of-
ficio: *Feria IV die 22 Decembris 1875*: « At-
tentis peculiaribus facti adjunctis supplicandum
Sanctissimo pro gratia dispensationis super im-
pedimento ordinis ac bigamia, ut Orator Paulus
Papp, praevia reductione ejus ad statum laicalem
in perpetuum, et gravibus ac salutaribus impo-
sitis poenitentiis matrimonium legitime contrahere
valeat ». Et in Audientia Sanctissimi eodem die
habita « Sanctissimus benigne annuit pro gratia
» dispensationis juxta Eñorum Patrum suffragia,
» quae confirmat. »

4.º Ex quo vix est quod hodie possit susti-
neri sententia illorum Doctorum, qui tenebant
matrimonia graecorum inita recepto ordine majori
fuisse quidem illicita et reprobata, quae pro poena
haberent dejectionem clerici majoris a clericatu et
rejectionem in communionem laicam, sed tamen
non fuisse invalida, exceptis matrimoniis attentatis
a subdiaconis italo-graecis, de quibus habemus
constitutionem specialem Benedicti XIV: « Etsi
Pastoralis » § VII num. 27 diei 26 Maji 1742. -
In aliis titulis *libri I et III* jam visae sunt quae-
stiones an ad coelibatum servandum teneantur qui
ordines majores susceperunt in infantili aetate,
vel qui ordinem majorem receperunt aut vi abso-
luta, aut ex metu gravi injuste incusso. - Sicut

in alio titulo relata est excommunicatio Ordinariis
reservata, quam incurrunt clerici in sacris con-
stituti matrimonium contrahere praesumentes, nec
non omnes, qui cum ipsis pariter contrahere prae-
sumant, ut habetur in Constitutione: « *Apostolicae
Sedis* » sub num. 1 *Excommunicationum latae
sententiae Ordinariis reservatarum*. - Idem dicatur
de irregularitate incurra, si tale attentatum ma-
trimonium fuerit consummatum. Ex quibus omni-
bus satis aperte liquet caelibatum sacris mini-
stris impositum non fuisse ab Ecclesia saeculo
decimo vel undecimo, quo monachalis institutio
fuit ad clerum extensa, prout pluribus Ecclesiae
detractoribus placuit, sed ab Ecclesiae primordiis
inductum fuisse, et Gregorium Septimum non
fuisse caelibatus clericalis institutorem, sed potius
antiquae legis eo tempore non observatae, et colla-
bentis disciplinae instauratorem vigilantissimum. -
Si matrimonium ab his majoribus clericis atten-
tatum est invalidum, a fortiori invalida sunt spon-
salia de futuro ab iis contracta, cum promissiones
non teneant de re vetita, prout in casu est ma-
trimonium.

5.º Votum solemne castitatis per professio-
nem in religione approbata editum dirimit matri-
monium contrahendum, ut habemus ex *cap 3 et
ult. h. t.*, et definitum est a Concilio Tridentino
de sacram. matrim. can. 9 et dissolvit matrimo-
nium jam contractum valide, si sit tantum ratum
et nondum consummatum ex *tit. XXXII lib. III*.

Si autem quaeratur quo jure votum solemne dirimat conjugium contrahendum, respondendum cum Sanchez *lib. 7 de matrim. dist. 26 num. 4 in fin.* aliisque id non esse ex jure divino vel naturali sed tantum ex jure ecclesiastico. Namque id non efficit votum *quia est votum*, sed *quia est solemne*; secus omnia vota etiam simplicia id praestarent, quod non est verum; atqui solemnitas voti introducta est ex jure ecclesiastico, prout aperte docet Bonifacius VIII *cap. unic. de voto et voti redemptione in VI*, proinde id provenit ex jure ecclesiastico. Argumenta, quae ab iis afferuntur, qui defendunt contrariam sententiam sunt magis speciosa quam vera, nec ipsi valent effugere vim argumentorum nostrae sententiae, sunt enim haec, quae adjungimus, certissima: - 1.° non fuisse in Ecclesia impedimentum dirimens voti, usquedum ea non induxit in voto solemnitatem, seu melius, usquedum Ecclesia non fecit inhabiles ad nuptias contrahendas, qui votum ederent in talibus religionibus; - 2.° quin imo Pontifices concessisse, ut aliquando vota etiam simplicia matrimonium postea contrahendum irritum facerent, ut sunt vota simplicia Societatis Jesu post biennium novitatus emissa, quae etsi non sint solemnia dirimunt tamen matrimonium contrahendum sed non dissolvunt jam contractum licet ratum tantum sit ex Constitutione Gregorii XIII: « *Ascendente Domino* »; et probatur ex alio exemplo in *cit. tit. XXXII lib. III.* - 3.° in hoc im-

pedimento dirimente voti Ecclesiam aliquando dispensasse, si habitae sint graves rationes ad impetrandam dispensationem.

6.° Potius dispiciendum est quo tempore inductum sit in Ecclesia hoc voti impedimentum dirimens. Et videtur hoc inductum esse saltem *incohative* tempore Gregorii Magni post exortum Benedicti institutum de Monachis in Occidente; tum vero cum quis ex monachis monasterio relicto conjugia inivisset, renovatae fuerunt veteres leges in Concilio Triburiensi *canone 11 12 13 et 14 causae 27 quaest. 1 in Decreto*, et cautum, ut monachi regulae desertores ad monasterium etiam inviti reducerentur, quod satis videbatur ad eosdem monachos a voluntate ineundi conjugia avocandos. Tandem initio saeculi duodecimi suprema manus imposita fuit huic disciplinae, et sub Calixto secundo in Concilio Lateranensi anni 1123 *can. 24* statutum est, ut irrita omnino forent ea conjugia *can. 8 distinct. 27*, ubi praeter poenam in personas illas conjugium contrahentes illatam dicitur *contracta quoque conjugia disjungi*; quae verba utpote in conjugium quoque ipsum collata, vim decreti irritantis praeseferunt. Id ipsum paulo postea, seu anno 1139 confirmavit Innocentius II in Lateranensi Concilio *can. 40 distinct. 29 quaest. 4* ita definiens: « *Hujusmodi copulationem matrimonium non esse censemus* » atque id ad sanctionales foeminas extendit. Quibus hodie accessit pondus auctoritatis ex Concilio Tridentino *sess. 24*

de sacramento matrimonii can. 9 et excommunicatio Episcopis reservata in Constitutione « *Apostolicae Sedis* » num. cit., atque irregularitas ut supra si matrimonium fuerit consummatum, quae irregularitas comprehendit quoque Moniales solemniter professas et deinde matrimonium attentantes et consummantes eas reddens inhabiles tamquam bigamas ad gradus, ad quos solae moniales virgines assumuntur, ut cum pluribus notat Giraldi *op. cit. part. 1 sect. 686*. - Ex quo inferitur sponsalia quoque subsequencia esse irrita, quia sunt promissiones inhonestae et impossibiles, cum nequeant compleri obsistente jure. - At vero si votum est simplex, tunc subsequencia sponsalia sunt invalida, cum sint semper promissiones inhonestae et impossibiles, quod si subsequatur matrimonium de praesenti, hoc quantumcumque illicitum, est tamen validum, prout in antecedentibus expositum est. - Est inter Doctores satis celebris quaestio: an per votum simplex dissolvantur sponsalia praecedentia? Dixi per votum simplex, nam certum est per votum solemne ea sponsalia dirimi. Circa hanc vero quaestionem certum est per votum ingrediendae religionis solvi sponsalia praecedentia, nisi sint jurata, ut dictum est in Titulo primo; et ratio est, quia illa sese habent ad hoc votum, ut matrimonium ratum non consummatum circa professionem religiosam. Deinde certum est, quod facto voto simplici, altera pars potest se putare solutam ab implendis sponsalibus,

cum haec valeat reputare alteram partem, ac si jam valedixisset prioribus sponsalibus. At tertio videtur longe probabilius per votum simplex castitatis non dissolvi sponsalia antecedenter inita; quia ex una parte non potest quis quaesito alterius juri praejudicare, et ex altera non videtur Deus acceptare votum de re jam alteri promissa in praejudicium istius. Neque dicatur huic non fieri injuriam, cum quis cogitaret de meliori statu; nam hoc valet tantum de statu religioso, non autem de simplici voto castitatis, prout in hypothesis nos fingimus, sed in hoc applicatur principium aliud, nempe vota fieri de proprio non de alieno prout esset in casu.

TITULUS VII.

*De eo qui duxit in matrimonium,
quam polluit per adulterium.*

1.° Rubrica tituli non exacte nec complete exprimit impedimentum sub hoc titulo a canonicis inductum, unde verus Rubricae sensus determinandus est ex subiectis capitibus. Agitur hic de impedimento dirimente proveniente *ex crimine*; vi cujus inter complices delicti validum matrimonium etiam soluto priore iniri nequit, et initum dirimitur. Duo autem crimina sunt, quae hic recensentur, nempe adulterium, et uxoricidium, ex quibus delictis inducitur, ut inter adulteros etiam primo matrimonio resoluto per mortem non valeat conjugium consistere, sicut neque inter uxoricidas etiam a priori vinculo maritali solutos - Inductum autem est hoc impedimentum a jure ecclesiastico ad magis fovendum amorem inter con-

juges, et fidem maritalem tutandam, quae perfractae fidei, et proditae maritalis dilectionis nullum futurum esset emolumentum ex denegata validitate ineundi inter eos conjugii. - Ex quo deducitur hoc impedimentum non habere vim inter infideles, neque eos directe respicere, quamvis eis possit indirecte aptari, si consortes hujus criminis sint cum fidelibus; cum si istos afficiat non possit eos non respicere ex unitate contractus matrimonialis, quemadmodum expositum est in *titulo XXXIII lib. III*:

2.° Istorum vero criminum ratio talis est, ut relate ad hoc impedimentum incurrendum possint considerari tres casus, nempe *primo* adulterii, *secundo* uxoricidii, *tertio* adulterii simul et uxoricidii, quos casus singillatim expendemus. Et imprimis de adulterio. Ad impedimentum criminis propter adulterium porro requiritur, ut sequentes condiciones concurrant: - 1.° ut adulterium concurrat cum promissione matrimonii futuri, vel cum matrimonio de facto attentato *ex cap. ult. h. t.* Et haec promissio est de se mala etiamsi in se sola consideretur, quia turpe reputatur constante uno matrimonio de altero pacisci, et aliquam saltem occasionem praebeat captandae mortis; unde nec valida promissio est, quia est contra bonos mores. - 2.° Requiritur ut tam adulterium, quam interdicta promissio de futuris nuptiis vel attentatio matrimonii advenerint adhuc constante priore matrimonio, prout habetur *ex jam cit. cap. ult.*

h. t. Et jure quidem si enim utrumque crimen non fuisset admissum adhuc constante primo conjugio, vel adulterium non esset tale crimen sed simplex fornicatio, vel promissio non esset amplius illicita, quia non esset data contra sanctitatem vinculi amplius non constantis. Hic autem a Doctoribus quaeritur: an necesse sit tum adulterium, tum promissionem debere esse factam sub eodem conjugio, vel potius incurratur hoc impedimentum, etiam quando adulterium uni obstat conjugio, alteri autem obsit data promissio? Et quamvis non desint Doctores, qui hanc alteram propugnent opinionem, tamen probabilior est prima sententia, quam apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 18 tumentur Sanchez, Gonzalez, Reiffenstuel aliique optimis allatis rationibus; inter quas sequentes sunt potiores, nempe nos esse in materia odiosa proinde non esse utendum interpretatione extensiva, sed restrictiva: cum vero per posterius matrimonium initum recessum sit a fide data, non habetur huic matrimonio obstand nisi adulterium, cum spes matrimonii facta per promissionem extincta sit posteriore matrimonio contracto, et adulterium solum non sufficit ad inducendum impedimentum, quod facile ostenditur ex textibus *cap. 1 et ult. h. t.*, ex quibus videtur requiri, ut utraque injuria uni eidemque irrogetur conjugio. - 3.º Exigitur ut adulterium sit ex utraque parte *formale*, nempe uterque sciat se rem habere cum conjugato, ex *cap. 1 et penult. h. t.*:

injuria siquidem non fieret conjugio ex parte illius qui nesciret se adulterari, etiamsi animum exhiberet fornicarium. *A fortiori* non incurreretur impedimentum, si pars soluta fuerit ab altera decepta et inducta ad nuptias praeventive ab eo, cum quo deinde carnaliter copulata sit, de quo casu inferius agemus. - 4.º Requiritur ut promissio haec matrimonii sit *vera sit pura* non autem conditionata, vel si talis extitit, requiritur ut *conditio verificata sit adhuc constante primo matrimonio* et tandem sit *ab altera parte acceptata aliquibus positivis signis* non sola taciturnitate; non autem exigitur ut habeatur repromissio. Quae extrema vel qualitates promissionis explicantur ab Auctoribus praesertim a Schmalzgrueber *h. t. num.* 20 *et seqq.* - 5. Praeterea requiritur ut copula carnalis sit perfecta et consummata, non simpliciter attentata, prout Doctores communiter exigunt, quia sumus in materia odiosa. - 6.º Demum requiritur ut prius matrimonium fuerit validum, etiamsi non exigatur esse consummatum; secus enim non committeretur verum adulterium, ut reaspe ad incurrendum impedimentum requiritur. Doctores apud Schmalzgrueber *h. t. num.* 37 faciunt sequentem quaestionem: an is, qui vivente legitima sua uxore contraxit de facto matrimonium cum alia ignorante primam uxorem illius vivere, post mortem istius licite manere possit cum secunda? Cui respondent: « Non solum licite manere posse cum

secunda, sed nec ab illa separari debere, si petat separationem, verum cogendum esse ad renovandum consensum post mortem primae conjugis; quamvis secunda haec uxor, si velit, possit ab illo discedere. » Quam responsionem et pluribus textibus juris atque juridicis argumentis communiunt, ut in loco citato videri potest.

3.º Alter casus, quo incurritur impedimentum criminis est uxoricidium. Porro ut ex solo hoc crimine oriatur impedimentum requiritur ut sequentia concurrant nempe: - 1.º ut machinatio illa sit efficax, et caedes reipsa secuta sit seu mors conjugis ex *can. 5 caus. 31 quaest. 1*. Idem vero est vel quod hoc crimen perpetretur ad occisionem mulieris, vel ad occisionem viri. - 2.º ut conjugicidium committatur animo ineundi matrimonium cum conjugate superstite, prout concludunt Doctores ex verbis quoque citati canonis, non vero ex alio fine etiam inhonesto puta liberius vivendi cum amasia. Ratio est quia canones hoc posuerunt impedimentum dirimens, ne conjuges interficiantur sub spe conjugii cum adultera contrahendi, qui finis cessat, quando ad alium finem conjugicidium perpetratur. - 3.º ut matrimonium prius cum uxore occisa initum sit validum et legitimum, non tantum bona fide aestimatum, quamvis non requiratur, ut illud sit quoque consummatum; secus enim non esset verum uxoricidium, nec haberetur commissa injuria in prius matrimonium. - 4.º demum requiritur ut

hoc crimen admissum sit machinatione utriusque et conspiratione, ita ut uterque concurrat ad necem vel consilio, vel mandato, vel cooperatione physica, ita ut uterque haberi possit correus, seu reus principalis; prout exprimitur in relato *can. 5*. Cui cooperationi non aequiparatur ratihabitio, quae a legibus in delictis aequiparatur mandato. Namque in delictis ratihabitio aequiparatur mandato in illis solis casibus, in quibus a jure expressum est; atqui numquam legimus in canone hoc impedimentum incurri sola uxoricidii ratihabitio; theoria proinde ad hunc casum extendi non debet, praesertim cum simus in odiosis.

4.º Tertius casus, in quo incurritur impedimentum est, quando utrumque crimen concurrat, nempe adulterii et uxoricidii. Hoc tamen in casu, ut incurratur impedimentum sequentia tantum debent verificari, nempe: - 1º ut adulterium sit *formale* ex utraque parte. Imo Sanchez *lib. 7 de matrim. dist. 78 num. 12* cum aliis contendit debere esse *formale respectu conjugis interfecti*, nempe ut altera pars adultera sciât fuisse conjugatum illum, qui post adulterium, suam conjugem occidit; et videtur haec attendenda esse ratio, quia hic est unicus modus, quo crimen ab uno admissum alteri nocet. - 2º ut adulterium admissum fuerit, priusquam caedes committatur, etsi machinatio etiam antecedenter incoepa noceat, dummodo effectus machinationis seu occisio sit post patratum adulterium; secus non haberetur adulterium illud for-

male, de quo in prima conditione locuti sumus. -
 3° Requiritur ut tam adulterium quam uxoricidium sit consummatum, et non simpliciter attentatum, scilicet quod habita sit copula perfecta, et mors conjugis secuta fuerit, quemadmodum in antecedentibus expositum est. - 4° Demum ut caedes vel ab uno ex adulteris committatur animo ineundi matrimonium cum alia persona complice in adulterio; quemadmodum expresse notatur in *can. 5 cit.* In hoc autem tertio casu est attendendum, hoc impedimentum directe et principaliter incurri ab adultero, qui caedem commisit, ut nequeat eam sibi matrimonio copulare, quam polluit per adulterium, quarum nuptiarum sub spe commisit conjugis occisionem. Inter quas personas communicatur impedimentum ex eo quod adulterium sit *formale*, sicut supra exposuimus. Ex his intelligitur quid debeat responderi in casu, quo uxoricidium fuerit admissum ab infideli non concurrente per machinationem parte fideli, quamvis antecederet inter eas personas advenerit adulterium formale. Cum enim hoc sit impedimentum juris ecclesiastici quo directe non subjiciuntur infideles; hinc si infidelis caedem conjugis unicus perpetraverit, nec ipse nec pars fidelis etiam complex in adulterio hoc impedimentum contrahent; non quidem infidelis, quia tale impedimentum a jure ecclesiastico inductum eum directe non ligat: nec pariter pars fidelis, quae unius adulterii rea est, et per simplex crimen adulterii non incurri-

tur. At è contra si fuit pars fidelis, quae post adulterium se foedaverit hoc crimine homicidii, tunc ipsa incurrit impedimentum directe, quae juri ecclesiastico subjecta est; indirecte autem alteri parti communicatur, quemadmodum expositum est in *titulo XXXIII lib. III* quia matrimonium nequit esse ex una parte validum, et ex altera invalidum.

5.° Celeberrima est et satis antiqua quaestio inter Doctores disputata: an hoc criminis impedimentum incuratur ab ignorante? Ad quam rite resolvendam puto nonnulla esse praemittenda. - Et (a) agitur hic tantum de ignorantia poenae a canonibus adjectae ut habet Suarez *De Legib. lib. 5 cap. 22 num. 4*, unde hic agitur de ignorantia legis non prout prohibet actum, sed ut est irritans; nam aliud dicendum omnino esset, si loqueremur de ignorantia aut simplicis juris, vel de ignorantia facti: - (b) advertendum pariter est hanc quaestionem habere principaliores respectum ad theologiam quam ad canones, seu magis ad forum conscientiae quam ad forum externum: non est enim casus, quod ista ignorantia possit allegari in foro externo, et si allegaretur, profecto non admitteretur; sed facile esset eam allegare in foro conscientiae. Quibus animadversis nostram sententiam in tali dubio proponimus sequentibus verbis: Quamvis denegari non possit probabilitas opinionis aut sententiae affirmantis taliter ignorantes non incurrere impedimentum criminis, ni-

hilominus tenendum est aliam sententiam negantem esse probabiliorem non modo ex probabilitate extrinseca, sed quoque ex probabilitate intrinseca. Complexa haec propositio per partes probatur. Et imprimis non possumus denegare probabilitatem sententiae affirmantis, quam concedimus potius ex auctoritate, quam ex ratione, cum plures sint Doctores et quidem magni nominis, qui eam tenent, et non destituatur aliquibus argumentis, quae tamen si intimius expendantur, non videntur habere magnum valorem. At è contra sententia negans est communior, nempe longe majorem numerum Auctorum complectens, quod nec ab ipsis adversariis denegatur; sed etiam tam gravibus innititur rationibus, quae omnino decretoriae esse videntur et hodie ut certa sententia habenda est. Revera primum argumentum a Schmalzgrueber relatum *h. t. num.* 60 habet suum pondus, nempe inhabilitates incurri quoque ab ignorantibus, quia etsi quandoque habeant rationem poenae, nempe inflictae sint propter delictum, tamen sunt conditiones annullantes contractum matrimonialem, quale est hoc criminis impedimentum. Sed quod argumentum meo iudicio in themate tollit quamcumque difficultatem est sequens. Omnibus fatentibus hoc impedimentum est inductum in poenam; et esto juxta Doctores sententiae negantis sit poena extraordinaria nempe exorbitans, et juxta Doctores sententiae affirmantis sit *non mera poena*, sed aliquid amplius, nempe

inhabilitas: omnes tamen in hoc conveniunt habere rationem poenae; atqui poenae ecclesiasticae incurruntur quoque ab iis, qui eas ignorant. De poenis viguit in jure hoc principium, quod eae respicere non possunt actus praeteritos, nempe ante legem promulgatam poenae non incurruntur; sed quando lex est sufficienter communitati promulgata, tunc poena ab omnibus incurritur, neque requiritur scientia poenae. Imo maxima differentia inter poenas et censuras haec est, quod ad censuras incurrendas requiritur scientia earumdem, non sic vero circa poenas. Et jure quidem cum censurae non incurrantur sine contemptu auctoritatis ecclesiasticae; is vero qui ignorat disciplinam non contemnit: ex hoc factum est, quod illae divisiones ignorantiae in invincibilem et vincibilem, crassam, et affectatam, si sermo est de sanctione legis, non referantur nisi ad censuras, de quibus ab illis Auctoribus quaeritur quomodo talis conceptus possit componi cum lege, quae censuras comminetur *ipso facto* incurrendas; quod ab iis fit exigendo ut contemptor legis habeat praeviam cognitionem inflictae censurae, unde peccans contra legem habetur ut contemptor potestatis ecclesiasticae. - Cum qua sententia maxime cohaeret praxis Poenitentiarum et Datarum Apostolicarum, quae in concedendis dispensationibus quoad impedimentum criminis, prout pro aliis impedimentis, quae in modum poenarum impositae sunt, sicut in responsionibus ad quaesita quando tale impedimentum contractum fuerit vel

non, numquam rationem habent ad ignorantiam vel scientiam istius impedimenti, sed tantum an fuerit admissum delictum cum omnibus requisitis circumstantiis, quod profecto dat nobis sensum receptae legis; praesertim si addatur quod canones, qui de tali inducendo impedimento agunt, numquam pariter loquantur de contumacia eorum, qui ea crimina admittunt, sed simpliciter sermonem habeant de admissis criminibus, quorum intuitu ad tuendam sanctitatem et fidem matrimonii Ecclesia hoc invexit criminis impedimentum. Cujus praxis talium Supremorum Tribunalium habenda est a Doctore privato maxima ratio; neque enim ab istis conceditur dispensatio *ad cautelam*, prout est casus allegatus a Benedicto XIV in *quaest. canon. 183 num. 26 et 27*, sed *absolute* dispensatio ab hoc impedimento datur; quod satis indicat ea Tribunalia nolle recognoscere rationabilitatem praedictae sententiae negantis.

6.º Etsi verum sit, quod quando utrumque crimen admissum est, ut in *num. 4*, unicum constituat impedimentum; tamen si et adulterium et uxoricidium suas proprias condiciones separatim habeant, prout *num. 2 et 3* expositae sunt, duplex inferunt impedimentum, et ab utroque debet peti dispensatio, si matrimonium velit legitimum contrahi. Ab hoc autem impedimento dispensat solum Summus Pontifex, qui id ordinario concedit per Poenitentiarium et Datarium Apostolicam prout crimen est occultum vel publicum nisi aliquando

id ex indulto aut facultate Ordinariis locorum largiatur, praesertim quoad revalidationem matrimoniorum. Cum porro impedimentum est occultum, vel sermo est de matrimonio jam contracto revalidando, vel de matrimonio contrahendo: si agitur de matrimonio jam contracto, tunc ad evitandum scandalum, quod eveniret si matrimonium dissociaretur, facile conceditur dispensatio, et practici illam vocant dispensationem necessariam, eaque committitur confessorio, ut praevia absolute ab istis criminibus dispenset ab impedimento ad matrimonium secreto contrahendum, nisi constituto de perseverantia prioris consensus videatur esse necessaria *sanatio in radice*. At si agitur de matrimonio contrahendo, scire interest, an impedimentum proveniat tantum ex adulterio cum promissione, sive etiam ex uxoricidio praesertim communi machinatione patrato. Si impedimentum procedat a solo crimine adulterii cum promissione, S. Poenitentiarium dispensat ex causis minus gravibus. At si proveniat quoque ex uxoricidio praesertim utriusque machinatione pattrato solet S. Poenitentiarium petentes *detertere* a tali ineundo conjugio, et non nisi quando petentes sunt obfirmati in voluntate conjugium ineundi, atque prompti sunt ad matrimonium civile contrahendum, quia statum civilem latet admissum crimen, vel ad perseverandum in concubinato, concedit dispensationem pro foro conscientiae a Confessorio exequendam juxta formam, ut deinde ma-

trimonium in forma Concilii Tridentini celebrent. Quod si impedimentum sit publicum, tunc Dataria Apostolica procedit, et siquidem ortum sit impedimentum ex crimine adulterii cum promissione, tunc etiam dispensatio pro foro externo datur, sed ex gravibus rationibus et praemissis multis conditionibus ab executore explendis, prout docet Pyrrus Corradus in *Praxi dispensation. apostolic. lib. 8 cap. 9 num. 5 et seqq.* At si impedimentum ortum est ex conjugicidio jam publico, tunc Pontifex numquam dispensat ob enormitatem scandali et delicti.

TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

1.º Notant hic Doctores cum Reiffenstuel *h. t. num. 9*, quod dictum est de lepra dicendum esse de quovis alio morbo, puta paralysi, epilepsia, aliaque infirmitate incurabili propter identitatem rationis. Lepra autem aliusque morbus nec dirimit nec impedit matrimonium contrahendum juxta id quod habet Alexander III in Decretali data ad Episcopum Bajocensem *cap. 2 h. t.*: « Leprosi, si continere nolunt, et aliquam, quae sibi nubere velit invenerint, liberum est eis ad matrimonium convolare. » Proinde tantum quaestio esse potest vel de lepra superveniente, aut primo cognita post edita sponsalia aut initum conjugium, cum ea, quae sponsalia vel matrimonium edidit cum leproso, non possit postea ab ipso discedere juxta

notissimam regulam juris « quod semel placuit, amplius displicere non potest. »

2.° Hic autem quaeritur: Lepra superveniente aut primo cognita sponsalia jam inita resolvi possint vel non? Responsio ad quaesitum facilis est ex eo principio pluries indicato, quod sponsalia possunt resolvi, si uni ex partibus etiam citra ejus delictum interveniat notabilis mutatio, ex conditione implicita cuicumque promissioni, et dictum est *titulo I hujus libri*, atque innuitur *cap. ult. h. t.* Idque valet etiamsi sponsalia haec fuerint jurata ex *cap. 25 de jurejur.* Haec vero sponsalium resolutio non venit *ipso jure*, sed ad petitionem partis, quae talem mutationem passa non est; nam si velit haec in initis sponsalibus perseverare, altera pars non potest recedere prout de aliis promissionibus explicatum est. Difficilior porro disquisitio est: an lepra superveniens dissolvere valeat matrimonium de praesenti? In qua propter diversos juris textus, qui ad invicem oppositi esse videntur, haec ad eos concordandos tenenda via est distinguendo inter matrimonium ratum vel consummatum. Namque si matrimonium est consummatum, certum est non dissolvi ex *cap. 1 et 2 h. t.* Imo etsi antiquitus Stephanus III anno 754 indixerit a leproso separationem, prohibueritque reddi debitum conjugale ut notat Giraldi *op. et part. cit. sect. 698* fortasse propter metum contagii, deinde Alexander III in *cit. capp.* instituit, ut conjux sanus a leproso non diverteret

neque quoad thorum, eique debitum conjugale non negaret referens « quoniam nemini licet excepta causa fornicationis uxorem dimittere. » Quae tamen potius videntur esse adhortationes quam vera praecepta respiciendo ad probabile periculum infectionis vel ad horrorem ipsius morbi. Consequentia autem *capitis I h. t.* id demonstrant, et simul quod in casu districte praecipitur, namque subditur. « Si vero ad hoc induci non poterunt, eis arctius injungas, ut uterque altero vivente continentiam servet; quod si mandatum tuum servare contempserint, vinculo excommunicationis adstringas. » Unde patet manere vinculum matrimonii consummati etiam superveniente lepra alioque morbo incurabili, atque contagioso.

3.° Quoad matrimonium ratum vero, etsi communis doctrina Doctorum ferat per lepram aut alium morbum non dissolvi, tamen visi sunt jam ab antiquo obstare duo juris textus, nempe Urbani III et Gregorii II. Primus tamen Urbani III relatus in *cap. ult. h. t.* sicut expositus est a B. Raymundo amplius non obstat, cum ad tollendam difficultatem ejusque authenticam dandam interpretationem addita sint in specie verba « *de futuro* » ut refert Gonzalez in expositione dicti *capitis in nota (b)*, alter autem textus Gregorii II refertur a Gratiano in Decreto *causa 32 quaest. 7 can. 18*, et est genuinus Gregorii II in Epistola ad Bonifacium, prout censet Berardi in *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti part. 2*

tom. 2 pag. 164 atque his verbis perstat in ea Epistola. « Nam quod proposuisti quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiae vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis; non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit, et non detestabilis culpa excludit. » Ex quo juxta nonnullos auctores, inter quos Gratianus, Pontifex visus est doctrinam proponere antiquis Pontificibus adversam, nempe matrimonium dissolvi ex eo quod mulier ratione infirmitatis nequeat ei reddere debitum conjugale, et sic rumpatur matrimonium, cum alteri parti detur licentia ad alias nuptias. Verum haec interpretatio aliis Doctoribus apparuit omnino adversa Romanae Sedis inerrantiae, sicut Gregorio II injuriosa, cum Romani Pontifices constanter retinuerint neque per morbum quemlibet matrimonium christianorum de praesenti dissolvi. Hinc ab ipsis aliae sunt invectae interpretationes, quae illum canonem nobis rationabilem et cohaerentem veteri Doctrinae exponerent. Sunt vero istae interpretationes tres. Prima est eorum, qui putant in eo canone agi de muliere, quae correpta est infirmitate arctitudinis, ut a viro cognosci carnaliter nequeat, eamque interpretationem praebent Bellarminus in *lib. 1 de matrim. cap. 11* et Gonzalez in *comment. ad cap. fin. h. t. num. 9*, quo in casu cum primum ma-

trimonium ex impotentia antecedente et perpetua fuerit invalidum jure naturali, consequens est, quod altera pars, si non potest se continere, ad alia vota transire valet. Et hic modus exponendi illam Decretalem admitti potest. Aliam explicationem proponit Sanchez *lib. 3 de matrim. dist. 16 num. 5*, et Barbosa in *can. cit. num. 2* quod scilicet hic ageretur de matrimonio simpliciter rato, post quod superveniente morbo impediante ejus consummationem intervenit auctoritas Pontificia concedens dispensationem super matrimonio rato, ut pars altera eo liberata ligamine valeret ad alia vota transire, et revera tradit apud Schmalzgrueber *h. t. num. 9* Burgasius *de irregul. p. 6 tit. de sponsalibus num. 74* Martinum V ob lepram dispensasse. Et hic pariter modus aptus esse videtur ad eliminandam difficultatem. Berardus tamen in *op. et loc. cit.* aliam dat satis probabilem et verbis Gregorii magis consonam explicationem praetendens Pontificem a Bonifacio interrogatum esse de matrimoniis in infidelitate contractis a Germanis neo-conversis ad fidem, eumque cum ageretur de conjugiiis, quae sacramenta non essent certis in factorum speciebus mitius quodammodo egisse et nonnihil aut indulgisse aut relaxasse, prout Theodorus Cantuariensis fecit in *capitulis apud Petitem editis cap. 11*, et traditur actum esse in Capitulari Pipini Francorum Regis edito anno 752 sub nomine Synodi Vermeriensis *cap. 9*, vel potius Gregorium hac in specie nonnihil indul-

sisse Germanis non probando vel laudando sed potius permittendo, ne forte alias gravissima mala emergerent. Quaecumque ex hisce tribus explanationibus eligatur, manebit veritas assertionis ex lepra alioque morbo superveniente matrimonii rati vinculum ipso jure non dissolvi.

TITULUS IX.

De conjugio servorum.

1.° Brevem expositionem hujus tituli puto esse incipiendam verbis Giraldi *op. et part. cit. sect. 700* his verbis: « Quamvis Ecclesia usque a saeculo VIII servorum conjugia sine consensu dominorum inita dirimi permiserit, ut ex *can. 30 Concilii Cabilonensis II celebrati anno 313* relato a Gratiano *causa 29 quest. 2 can. 8*, cautum tamen est a saeculo XII aut circiter ab hac disciplina recessisse, ut palam facit responsum ad consultationem Eterardi Archiepiscopi Salisburgensis datum ab Adriano IV; qui Pontificatum gessit a *die 4 Decembris 1154* usque ad annum 1159 relatum in *cap. 1 h. t.* Unde hodie ubi viget servitus proprie dicta, quae in plagis Europae dispa-

ruit et nonnisi in aliquibus regionibus Americae inter christianos adhuc viget, matrimonia a servis contracta etiam contradicentibus dominis et invitis nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda; licet debita et consueta servitia non minus debeant a servis propriis dominis exhiberi.

2.° Longe alia est quaestio de valore matrimonii initi ignorata conditione servili alterius partis, quae inter diversos Doctores diverse opinantes sic ab aliis via media procedentibus resolvitur: « Aut enim liber cum ancilla contraxit cum hac expressa conditione « *si libera sit* » non contracturus, nisi esset libera; vel absque hac conditione contractum init. Si primum verificetur, tunc tale matrimonium est ex jure naturali invalidum quia deest voluntas, quae alligata conditioni non verificatur ea conditione non adimpleta. Si vero huic conditioni non alligatur voluntas consentientis, tunc tale matrimonium non est invalidum ex jure naturali sed tantummodo ex jure ecclesiastico; quippe cum non sit error recidens in personam jure naturali matrimonium reddens invalidum, sed a jure ecclesiastico positivo invalidatur « tamquam reliquia legum romanarum et antiquorum canonum servorum conjugia aegre admittentium » ut loquitur Giraldi *loc. cit.* Hoc totum factum est respectu personae liberae, non autem servae.

3.° Haec tamen conjugia convalescere poterant antiquitus, si detecta servili conditione, liber nihilominus carnale habuisset cum ea commer-

cium, quasi ratum habens plena advertentia id, quod ex errore egit. Verum hodie copula carnalis affectu maritali habita non sufficit sed necessaria est quoque forma Concilii Tridentini circa consensum quamvis antiquitus jam fuisset adhibita.

TITULUS X.

De natis ex libero ventre.

Est axioma in jure « partus sequitur ventrem » cujus axiomatis sensus est, prolem sequi conditionem matris; unde si mater est libera, et proles erit libera; si mater est serva, et proles nascitur serva. Ad hoc autem, ut proles nascatur ingenua ac libera, sufficit ut mater fuerit libera vel per momentum aut tempore conceptionis, aut nativitatis aut saltem tempore intermedio, quia proles semper habetur pro nata, quoties de ejus commodo agitur, ut habetur in Institutionibus Iustiniani « *De Ingenuis.* » Quoad familiam vero, ejus nobilitatem et dignitatem, si matrimonium est legitimum, proles sequitur conditionem patris, ut in Digestis *De statu homin.*

TITULUS XI.

De cognatione spirituali.

1.º Incipit in hoc titulo tractatus de impedimento cognationis, quod triplex est nempe ex cognatione spirituali, legali et naturali. Hoc titulo agitur de cognatione spirituali, etsi haec cognationis species ultimo fuerit recognita post cognationem naturalem et legalem. Definitur porro quod sit: « propinquitas quaedam personarum ex collatione vel susceptione baptismi vel confirmationis resultans et jure ecclesiastico dirimens matrimonium contrahendum. » Quando fuerit haec cognatio spiritualis inducta non est dispiciendum ex falsis decretalibus Isidori Mercatoris, sed retinendum est eam incepisse ex lege Justiniani Imperatoris *leg. 26 codic. de nuptiis* eam ob cau-

sam: « cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt. » Praestat autem Berardi verba referre, quibus universam hanc cognationis spiritualis impedimenti originem fuse explicat in *tractatu de conjugiorum juribus dissertatione IV cap. IV*: « Pressior fuit Trullani » concilii formula in *can. 53* in quo confirmata » apparet justiniana constitutio, imo et traditum » fuit insuper, *spiritualem ad finitatem conjunctione » corporum esse majorem*. Quis non videt, ex hujusmodi rationibus adjectis eam necessitudinem, » quae origine sua vix inter suscipientem et susceptum continebatur, paullatim produci potuisse, » ut quemadmodum in adoptione et adfinitate » certi gradus constituti erant, ita et iidem in cognatione spirituali reciperentur, *can. 1 caus. 30 » qu. 1*? Hoc argumento usus fuit Nicolaus I in » *can. 1 caus. 30 qu. 3*, cui adicere possumus » *can. 2, 3 et 5* quibus receptum est, ut per » varios gradus haec spiritualis cognatio progredetur, prae ceteris autem, ut filius naturalis susceptoris susceptam non posset ducere, quamquam non omnes in hanc rem sine discrimine » consentirent, aientibus nonnullis, cognationem » hanc spiritu, non sanguine contrahi, *can. 7, » caus. 30, qu. 3*. Ceterum recentiore aetate, praesertim post leges longobardas, quarum fragmentum est in *lib. 2 legum longobardarum tit. 8,*

» Nicolai I sententia passim recepta fuit, et a » recentioribus pontificibus confirmata, *cap. 1 de » cognat. spirit. cap. 1 cod. tit. in 6*. An baptizans cum baptizato eam necessitudinem contraheret, quemadmodum et cum parentibus baptizati, olim definitum non fuerat, quia forte aut necdum aut raro casus emergerat de conjugio » baptizantis, ut plurimum episcopi, aut sacerdotis. » Sed eveniente casu laici baptizantis, et proposito apud Joannem VIII, definiri coepit etiam » ad baptizantem eam cognationem extendi, recta » Justinianae legis, et receptae in susceptoribus » disciplinae interpretatione, *can. 7, caus. 30, » qu. 1*. Amplior deinde reddita adhuc fuit disciplina, nam recentioribus saeculis etiam in sacramento confirmationis idipsum receptum est, » ut ad exemplum susceptorum baptizati, susceptores etiam confirmati, spiritualem cognationem contrahere dicerentur, *cap. 1, § ex confirmatione de cognat. spirit. in 6°*, quod jam pridem statutum fuerat in Compendiensi Concilio anni 757, *can. 15 et 19*. Eo res redacta » fuit nonnullorum opinione, ut ex aliis etiam » sacramentis cognatio quaedam induceretur ac » potissimum ex sacramento poenitentiae, quemadmodum conatus est auctor *canonis 8 caus. 30 » qu. 1* falso Symmacho Papae tributis. Ast has » juris prorogationes coercuit Bonifacius VIII in » *cap. 3 de cognat. spirit. in 6*, decernens, cognationem spiritualem non oriri, nisi causa duo-

» rum sacramentorum, videlicet baptismi et con-
 » firmationis: baptismi, quod lex expresse ex eo
 » cognationem induxisset, confirmationis, quod
 » habita fuerit, veluti quaedam baptismatis per-
 » fectio, et complementum *can. 3 de cons. dist. 5*,
 » non vero poenitentiae, quia, uti deinde obser-
 » vavit S. Thomas, hoc sacramentum numquam
 » generationis speciem habuit, sed iudicii, nec
 » propterea in ea re erat cum baptismo aequi-
 » parandum. Vetus fuit quaestio, an qui susci-
 » piebat baptizatum causa supplendarum eccle-
 » siae caeremoniarum in baptismo olim collato
 » omissarum, cognationem contrahere diceretur.
 » Id non admiserunt pontifices maximi, quamquam
 » huiusmodi susceptorem admonerent, ne contrahe-
 » ret nuptias, *cap. 5 de cognat. spirit. cap. 2*
 » *cod. tit. in 6*, quod nostri appellaverunt *impe-*
 » *dimentum Catechismi*, illud inter impedientia, ut
 » vocant, non inter dirimentia impedimenta recen-
 » sentes. Et quidem ante Clementem III nullibi
 » adparet, occasione Catechismi aliquod conjugii
 » subesse potuisse impedimentum. Tantum non-
 » nulli fuerunt, qui argumentis a simili conten-
 » dentes, irrita post catechismum conjugia esse
 » credebant. Id noluit admittere Clemens III, in
 » dicto cap. 5, ubi addidit, *eam rem vix contra-*
 » *hendo matrimonio impedimentum allaturam*. Visa
 » fuerunt dubia haec Clementis verba; quamo-
 » brem ad eorum interpretationem Bonifacius VIII
 » in dicto cap. 2 asseruit, per catechismum im-

» pedimentum opponi conjugii, quamquam si con-
 » jugia contrahantur, adhuc jure consistent. »

2.º Cum tam late pateret hoc cognationis
 spiritualis impedimentum censuit Concilium Tri-
 dentinum illud restringere, quod praestitit *sess. 24*
cap. 2 de reform. matrim. praemittens hoc ge-
 nerale principium: « Docet experientia propter
 multitudinem prohibitionum multoties in casibus
 prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in qui-
 bus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea
 non sine magno scandalo dirimuntur. » Limitatio
 vero facta est hoc modo, et hodie: - 1º Cognatio
 spiritualis inducitur simpliciter ex baptismo et
 confirmatione, non autem ex aliis sacramentis,
 neque ex suppletis caeremoniis baptismi manet
 impedimentum quod antiquitus erat *prohibens ex*
catechismo nuncupatum ex cap. 5 h. t. et cap. 2
h. t. in VI. - 2º Procedit autem ad modum *pa-*
ternitatis inter baptizatum vel confirmatum cum
 baptizante vel confirmante, et similiter inter eum-
 dem baptizatum vel confirmatum, et patrinum vel
 matrinam: ad morem vero *compaternitatis* inter
 parentes baptizati vel confirmati cum patрино vel
 matrına, cum baptizante pariter vel confirmante.
 Sub nomine vero parentum veniunt parentes in-
 fantis *naturales* sive legitimi ii sint, sive illegi-
 timi. Unde post Tridentinum non contrahunt hanc
 cognationem vel Patrinus et Matrına inter se, nec
 cum baptizante aut confirmante; similiter non con-
 trahunt patrini vel matrınae liberi cum baptizato

vel confirmato ejusque parentibus, unde amplius non procedit haec cognatio spiritualis per gyrum sed tantum directe, nec etiam procedit ad modum *confraternitatis*. Videatur hac in re etiam Constitutio Pii V: « *Cum illius* » diei 28 Novembris 1566 declarans non incurri cognationem nisi a personis a Tridentino nominatis. - 3.º Ne autem plures personas involvat haec cognatio, Concilium Tridentinum statuit, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant deputandi a parentibus baptizati, et parochus antequam ad baptismum conferendum accedat diligenter ab iis ad quos spectat sciscitetur quem vel quos elegerint ut baptizatum de sacro fonte suscipiant et eum vel eos *tantum* ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant; et si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Et id pariter esse servandum in collatione confirmationis docet praelaudatum Concilium.

3.º Ad hoc autem ut patrinus vel matrina hanc cognationem spiritualem incurrant quaedam requiruntur, nempe: - (a) ut baptizans vel suscipiens ex baptismo sit baptizatus; unde si infidelis baptizet, etsi postea convertatur ad fidem, non habet impedimentum quominus illam puellam vel ejus matrem in uxorem ducere possit; sicut si

fidelis filium infidelis baptizavit cum tali infideli non contrahit cognationem spiritualem, etsi postea convertatur ad fidem. Item non confirmatum patrini munus exercentem in confirmatione non contrahere cognationem spiritualem tenuit S. Congregatio Concilii in exemplari declaratione edita *sub die 13 Junii 1654 relata in lib. 19 Decretor. pag. 358* ut apud Giraldi *op. cit. part. 1 sect. 710* cum jam in *can. 102 dist 4 de consecrat. interdictum* esset in baptisate vel in chrismate aliquem admittere ut patrinum, qui non sit ipse baptizatus vel confirmatus; - (b) ut baptismus et confirmatio valide conferatur; si enim invalide ea ministrentur, non est ratio inducendi impedimenti cognationis spiritualis, prout Doctores demonstrant quod sublato principali tollatur quoque accessorium; - (c) ut patrinus et matrina tangant infantem sive baptizandum sive confirmandum cum animo eum levandi de sacro fonte aut suscipiendi et quidem proprio nomine, proinde requiritur et *animus et tactus*. Quoad utrumque juvat hic referre quae animadvertuntur a Giraldi *op. cit. part. 2 sect. 112 in nota VI et VII* ibi: « Ex » declaratione S. Congregationis Concilii in *Bo- » biensi diei 20 Decembris 1653 lib. 19 Decretor. » pag. 296* contrahi cognationem ab eo, qui in » patrinum designatus infantem baptizatum de » manu sacerdotis, qui baptizaverat recepit, licet » in actu baptismi non tetigerit; imo eadem S. » Congregatio *die 18 Decembr. 1688 lib. 38 De-*

» *cretor. pag. 618 ad dubium Cognationis spiri-*
 » *tualis* respondit illam contraxisse Titium cum
 » matre pueri, quem de sacro fonte levavit, non
 » obstante quod illum non susceperit in actu ba-
 » ptismi de manu baptizantis sed de manu obste-
 » tricis contra opinionem affirmantem ad contra-
 » hendam cognationem spiritualem requiri ut pa-
 » trinus recipiat puerum de manu baptizantis.
 » Non contrahi vero declaravit cognationem spi-
 » ritualem in *Goana lib. 3 Decret. pag. 109 a*
 » non designato etiamsi baptizatum tetigerit, sed
 » absque animo illum levandi de sacro fonte, ne-
 » que ab eo, qui procuratorio nomine, patrini
 » munus obivit tam in baptismo quam in confir-
 » matione in *Pisana 20 Aprilis 1589 lib. 5 De-*
 » *cret. pag. 283, et novissime in Theatina ma-*
 » *trim. 13 Septembr. 1721 in tomo 2 Resolut.*
 » *ejusdem Congregat. pag. 76.* » Unde est, quod
 non improbabilis sententia sit nec contrahi hanc
 cognationem a principali, quando per procurato-
 rem hoc munus exercetur, quia jura passim exi-
 gunt contactum physicum et personalem ut pro-
 bat Sanchez *lib. 7 de matrim. dist. 59 num. 4*
 et Pirhing *h. t. num. 37*, quamvis probabilior
 sententia sit contrahi hanc cognationem per prin-
 cipalem; ut tenet Phiring *loc. cit.* Ast ratio pro-
 babilitatis primae sententiae efficit, ut nequeat
 dici matrimonium invalidum, quando contractum
 est obstante hoc impedimento cognationis spiri-
 tualis, si quis patrinus baptismo aut confirma-

tioni adstiterit per procuratorem ex eo principio,
 quod matrimonium semel actum retinendum est
 validum, usquedum evidenter non probetur esse
 invalidum, et in casu posita probabilitate illius
 sententiae non ostenditur evidenter esse invali-
 dum. - (d) Addit hic Giraldi *op. cit. part. 1*
sect. 712 quod quamvis numeri patrinorum desi-
 gnandorum praefixio ita stricta sit, ut neque Epi-
 scopus dispensare possit super plurium designa-
 tione, cum ex vulgatis attento transcripto Triden-
 tini Decreto inferior nequeat dispensare in lege su-
 perioris et ita sit declaratum a S. Congregatione
 Concilii, prout refert Passerinus *de cognat. spiri-*
tual. num. 5 concludens juxta probabiliorem sen-
 tentiam esse peccatum mortale admittere plures
 quam duos; nihilominus si plures contra Conci-
 lium designati et admissi fuerint a parcho, omnes-
 que simul susceperint et baptizatum tetigerint
 tunc omnes cognationem contrahunt juxta eum-
 dem Passerinum *ibi num. 6*, quia utrumque prae-
 stant videlicet et animum suscipiendi, et tactum:
 quemadmodum si ex negligentia parentum vel
 parochi nullus fuerit designatus, et nihilominus
 plures infantem de fonte susceperint, hi cogna-
 tionem contrahunt, ut probat idem Passerinus
num. 7 cum Navarro, Barbosa aliisque. Neque
 enim Concilium Tridentinum statuit designatio-
 nem tamquam formam, qua deficiente factum sit
 irritum, et ita esse declaratum a S. Congrega-
 tione Concilii in *Cremonensi* idem Passerinus re-

fert. - (e) Quomodo proinde sunt intelligenda verba Concilii Tridentini: « quod si alii ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant »? Et dicendum est cum Gallemart *op. et. loc. cit. Declarationes sub num. 8* id esse intelligendum de iis, qui tangunt sed non habent animum suscipiendi, qui proinde ex solo tactu non contrahunt cognationem spiritualem, quemadmodum qui habent suscipiendi animum, sed tactum non praestant, neque illi cognationem contrahunt, nam utrumque simul explicatis requiritur.

4.° De parentibus propriam prolem aut baptizantibus, vel suscipientibus in baptismo aut confirmatione, num contrahant spiritualem cognationem, dicendum est: - (α) Si *ex necessitate* id fecerint, juxta responsum Joannis VIII ad Anselmum Lemovicensem Episcopum relatum in *can. 7 causae 30 quaest. 1* nullum incurrere impedimentum cognationis spiritualis, cum necessitas non habeat legem. Hoc autem non procedere de patre aut matre levante de sacro fonte, aut ex necessitate baptizante propriam prolem fornicarie susceptam probat Fagnanus in *cap. 2 h. t.*, et consequenter matrimonium inter se valide contrahere non posse. - (β) Idem dicatur si parentes ad id procedant per probabilem juris aut facti ignorantiam, nullum nempe incurrere cognationis impedimentum cum uxore, ac proinde debitum non solum posse reddere sed et petere, cum non ha-

beaturn detrimentum ubi culpa non est, et tenent Sanchez *de matrim. lib. 7 dist. 62 num. 10* et Pirhing *h. t. num. 49*. - (γ) Si vero parens extra necessitatem aut probabilem ignorantiam prolem ex propria uxore genitam baptizet, vel e sacro fonte vel in confirmatione suscipiat temere aut malitiose, etsi graviter peccet, certum tamen est non oriri cognationem spiritualem ad hoc ut conjugii innocenti non teneatur reddere debitum, cum in *cap. 2 h. t.* aperte dicatur ei suam fraudem non debere patrocinari vel dolum. Controvertitur tamen inter Doctores an iste parens amittat jus petendi debitum, et licet major pars putet ab eo amitti hoc jus, non desunt nihilominus qui teneant nullum hodie conjugalis usus impedimentum oriri, ut colligi videtur ex *can. 5 caus. 30 quaest. 1*, quam sententiam etiam probabilem censet Layman *lib. 5 tract. 10 p. 4 cap. 8 num. 8*, et hac posita utrinque probabilitate supervenit principium in re dubia non posse certum jus conjugii auferri.

5.° An in baptismo privato habeat locum cognatio spiritualis inter patrinum et matrinam cum baptizato ejusque parentibus dubitatum est, usque dum proposita fuerit quaestio apud S. Congregationem Concilii die 29 Maii 1677; quae respondit: *Dilata et scribant Theologi*. Istorum deinde scripturis transmissis et distributis per manus Cardinalium die 5 Martii 1678 propositum fuit dubium: « An dispositio Concilii *cap. 2 sess. 24 de reform. matrim.* decernens in sacramento baptismatis contrahi

cognitionem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto? » S. Congregatio respondit *affirmative*. Post quam solemnem et doctrinalem interpretationem authenticam contrariae sententiae quaevis probabilitas deficit. Refertur totus processus decisionis in *Analecta Juris Pontificii serie VIII fas. 72 pag. 1708 et seqq.*

6.° Demum quaeritur quinam prohibeantur esse patrini. Et dicendum est neminem arceri ex fidelibus, nisi expresse a jure prohibeatur, proinde neque puer arcetur, nisi sit rationis usu destitutus, et neque foemina arcetur, etsi decens sit ut viro vir patrinus et foemina foeminae constituatur matrina. Expresse autem quidam a jure prohibentur, et jus est vel generale vel particulare. De jure generali prohibentur: - 1.° excommunicati vitandi *argum. can. 29 et 34 causae 11 quaest. 3 et cap. 16 et cap. 29 de sent. excommun.* - 2.° Infames, ne potius baptizandum pervertant, ut tenent cum communi Sanchez *de matrim. lib. 7 dist. 70 num. 2* aliique Doctores. - 3.° Religiosi omnes utriusque sexus ex *can. 20 caus. 18 quaest. 2 et can. 103 de consecrat. dist. 4 ac can. 8 caus. 16 quaest. 1* ne praetextu cognitionis spiritualis nimiam familiaritatem contrahant cum saecularibus praesertim foeminis. - 4.° Ignorantes rudimenta fidei, nequeunt enim muneri sibi commisso satisfacere, nempe erudire in fide levatum. - 5.° De

jure particulari etiam clerici majores, ut Romae ipsi prohibentur ab hoc munere implendo, nisi a Cardinali Vicario hanc veniam petant. - 6.° Demum arcentur haeretici et suspecti de haeresi, ita Gonzalez in *cap. fin. h. t. nrm. 6*. Et quoad ultimum hunc casum attendendum est, neque permissum a jure esse quod haeretici munus patrini exercent in baptismo vel confirmatione fidelium, neque quod catholici tale munus exercent in baptismo ab haeretico ministro collato, nisi habeatur super hoc specialis venia, quae conceditur ex ratione gravissima, et dummodo baptismus rite conferatur, praesertim in locis, in quibus catholici haereticis admixti vivunt. Notandum tamen est has exclusas personas, si tale officium obeunt, cognitionem spiritualem contrahere non minus catholicas quam haereticas, cum utraeque Ecclesiae legibus sint subjectae.

7.° In hoc impedimento cognitionis spiritualis dispensat solus Pontifex Romanus, quia lex generalis est. Advertendum porro est difficilius dispensari in paternitate, quam in compaternitate, unde necesse est, ut in supplicatione exprimatur, an petatur dispensatio super paternitate an super compaternitate. Et pariter notandum est, aliquando concedi facultates Episcopis locorum, ut ipsi dispensent per delegationem Summi Pontificis ab hoc impedimento. In his vero litteris delegationis apponitur limitatio, ut sit exclusus casus cognitionis *inter levantem et levatum*. Porro hanc limi-

tationem intelligebant nonnulli Episcopi, quod fuisset simpliciter exclusus casus inter baptizantem et baptizatum, non vero inter patrinum, matrinam et baptizatum. Non semel autem consulta super hoc S. Poenitentiaria, a qua procedebant illae facultates, respondit sub nomine levantis venire patrinum et matrinam, qui vocabulo juris vocantur levantes seu suscipientes è sacro fonte. Antiquissimum hunc usum adhibendi patrinum vel matrinam in sacramento baptismatis et confirmationis auctoritate canonum probatum et commendatum jugi observantia esse retinendum non semel edixit in suis Instructionibus Suprema Congregatio S. Officii, cujus Litterae nostris quoque temporibus editae circumferuntur. Profecto haec praecepta sunt servanda in publicis quoque administrationibus Sacramenti Confirmationis, quae fiunt ab Episcopis in visitatione quam peragunt propriae Dioecesis, ut quivis confirmatus vel confirmatum suum habeat susceptorem, nisi circumstantiae temporum et locorum aliud ex necessitate vel prudentia exigere videantur.

TITULUS XII.

De Cognatione Legali.

1.º Ex adoptione pariter provenit impedimentum inter certas personas, ne sub poena irrationis fiat conjugium, et dicitur cognatio legalis; quae definitur: « proximitas seu propinquitas personarum proveniens ex adoptione ». Id legibus Romanorum fuerat institutum, ut adoptio imitaretur naturam, et proinde ex constituta adoptione prohiberentur nuptiae: - 1º ratione *civilis paternitatis* inter adoptantem adoptatum ejusque filios idque perpetuo etiam resoluta adoptione; - 2º ratione *civilis fraternitatis* inter adoptatum vel adoptatam, et filias filiosque adoptantis naturales ac legitimos usquedum adoptio perduraret, vel isti non emanciparentur; - 3º ratione *affinitatis* ortae ex civili vinculo adoptionis inter adoptatum et uxorem ado-

ptantis, atque inter adoptantem et uxorem adoptati pariter perpetuo. Quae conjugia improbata sunt propter pudorem et publicam honestatem, ut loquitur Modestinus in *leg. 12 digest. de ritu nuptiar.* Hanc recte constitutam disciplinam optime respondentem honestati familiarum et publicis societatis moribus Ecclesia pervadens Imperium Romanum non destruxit, bene vero servavit et in totum retinendam curavit. Ex quo contigit, ut cognatio legalis evaderet canonicum impedimentum. In retinendis autem hac super re legis civilis dispositionibus adeo se praestitit obsequens jus ecclesiasticum, ut Nicolaus I *Ep. ad consulta Balgaror. cap. 2 relata* a Gratiano in *can. 1 caus. 30 quaest. 3 venerandas* romanas leges eas nominaverit et *observandas*. Quod jus semel in christiana societate introductum nullas vicissitudines passum est. Tantummodo inter Auctores quaerebatur: an cognatio legalis nasceretur tam ex adoptione simplici quam ex adrogatione. In qua quaestione ego putarem ita rationabilius esse sentiendum, quod teste Giraldi *op. et par. cit. sect. 713* communiter a Doctoribus retinetur, nempe oriri impedimentum cognationis legalis tam ex perfecta quam ex imperfecta adoptione, cum canones eam admittentes indistincte loquantur, et vinculum cognationis legalis jam legibus et moribus romanis longe ante Justinianum inductum ex utraque adoptione procedens eo modo perseveraverit etiam postquam ipse *leg. penult. Codic. de adoptione* et § 2 *In-*

stitut. de adoptione jusserit in adoptione filiorum familias facta a patre naturali extraneae personae jura patris naturalis minime dissolvi, nec quidquam ad patrem adoptivum transire, nec in potestatem ejus filios esse. Namque etsi discrimen illud maximum apposuisset Justinianus inter adrogationem et minus plenam adoptionem; mores tamen populi romani iidem manserunt, et non minus adrogatus sui juris, quam ille, qui erat alieni juris a patre naturali datus extraneo in adoptionem simplicem ingrediebatur in familiam patris adoptivi; ille quidem *jure et facto*, hic autem si non *jure* saltem *de facto* ingrediebatur domum patris adoptivi, ibique more filiorum familias vivebat. Unde est quod in utroque casu habebatur ratio publicae honestatis, tuendae familiaris continentiae atque eliminandae fornicationis, ut non minus adrogato quam simpliciter adoptato interdicerentur connubia in familia, in qua ut filii fuerant recepti. Et hinc explicamus quomodo canones supra memorati non distinguant inter adrogationem et minus plenam adoptionem quoad cognationem legalem.

2.º Verum supradicta questio hodie non est practica; nam diversa Regna et Nationes recedentes a jure communi Romanorum non agnoscent hanc duplicem Justinianae Jurisprudentiae adoptionem, sed aut prorsus in suis codicibus adoptionem sustulerunt, vel si adoptionem admittunt eam unicam et communem servant tum

hominibus sui juris tum filiis familias, quaeque unica ratio adoptionis nec plene cum adrogatione veteri nec plene cum antiqua adoptione simplici convenit. Unde quaestio practica hodie est: an impedimentum civilis cognationis ab Ecclesia recognitum inducatur ex adoptione, quae in usu penes christianas gentes hodie est ex ipsarum legislatione? Et non desunt inter Auctores, qui teneant sententiam negativam, nempe ex hac adoptione non oriri cognationem legalem, quae ab Ecclesia desumpta est juxta conceptum adoptionis apud Romanos usu receptae, quae utraque longe differt a moderna adoptione. Ad quam tamen resolvendam quaestionem mihi videtur sic esse procedendum, nempe praesupponendum esse, quod jura civilia alicujus nationis admittant adoptionem. Cessante siquidem hoc simulacro vel concessione juris civilis, nec nascitur civilis cognatio; cum auctoritas assumendi aliquem in filium vel nepotem qui natura talis non est, oriatur ex jure civili. Hoc autem stante simulacro, tunc quaecumque tandem forma sit, semper ex adoptione inducitur relatio plus minus notabilis inter adoptantem et adoptatum, atque iste incipit numerari vel jure vel facto inter filios adoptantis, unde supervenit ea ratio, quam supra expendimus de publica honestate. Et hoc verificari debet in omni legislatione, quae adoptionem acceptet, nisi velimus asserere frustra eam in codicibus admitti ad imitationem naturae seu nativitatis naturalis in

familia. Et revera cum ipsi codices civiles inter tales personas aliasque connexas interdiciant nuptias, an putabimus Ecclesiam velle posthabere publicae honestatis rationem, quam in casu Codices civiles quoque servant? Unde videtur concludendum in casu oriri impedimentum cognationis legalis.

3.º Praeterea affirmativa haec sententia auctoritate apparet omnino retenta et confirmata. Siquidem ex actis S. Poenitentiariae Apostolicae constat morem esse in talibus recognoscendi cognationis legalis impedimentum, et exempla habemus pro Gallia, Regno Neapolitano, aliisque regionibus *tom. XXV num. 78 et tom. XXX num. 29*. Vulgata habetur decisio doctrinalis ejusdem Tribunalis *tom. XII num. 20* ad D. Lasserre Vicarium Generalem Petrocorensem, qui cum proposuisset dubium: « Cum in eodem regno Galliae adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat? » Et responsum est: « Affirmative si res sit de adoptione legitime inita. » Circa quod Rescriptum nescio qua ratione a nonnullis Doctoribus de ejus valore dubitatum sit *de qua adoptione* ageretur. Hoc erat evidentissimum agi de adoptione, quae in Gallia habebat locum ex articulis codicis vigentis, quae ante codicis receptionem fuerat instituta ex moribus aut ex consuetudine; proinde exponit Lasserre hodie fuisse receptum *legaliter* vel a codice civili

jus adoptionis quod antea fuerat statutum in vim consuetudinis tantum, et ex adoptionis jure legaliter recepto quaerit an contrahatur impedimentum cognationis legalis; ac S. Poenitentiaria respondit: « Affirmative si res sit de adoptione legitime inita » nempe inita modo a legibus seu a Codice Gallico determinato. Quod probat cognationis legalis impedimentum advenisse seu contractum esse, si adoptio fuisset peracta modo a Codice statuto. Duo proinde requiruntur ad inducendam cognationem legalem juxta conceptum Ecclesiae, nempe: - 1° ut leges civiles hanc adoptionem admittant, - et 2° ut adoptio fuerit completa juxta modum a legibus civilibus praescriptum. - Atque ipsa S. Congregatio S. Officii, prout habetur authenticum exemplar in tom. *XXIII num. 249 actor. S. Poenitentiariae in Neapolitana* ad dubium « an adoptio celebrata in forma praescripta a Codice civili Regni Neapolitani producat nec ne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium? » respondit *sub die 23 Februarii 1853*: « affirmative ». Neque opponatur decisio S. Officii *allata a Ferraris Pro matrimonio art. 2 additio ex novissima Romana editione*: « In Bulgariae provincia mos est, ut patresfamilias aliquando sibi in » filios adoptent, absque tamen ulla juris solemnitate, aliquos pueros et puellas. Hujusmodi adoptati communiter inter catholicos ibi commorantes, veluti filii legitimi reputantur, adeo ut

» in hereditate etiam succedant. Rev. D. Joseph » Roveramus missionarius.... Sacram Congr. de » Propaganda Fide humiliter supplicavit, ut de » clarare dignaretur, an talis adoptio impedimentum pareret *cognationis legalis*. Eadem S. Congr. » instantiam remisit ad S. Cong. S. Officii. De » inde in Congregatione generali habita coram SS. » DD. Nostro *Feria V die 16 Aprilis 1761* Sanctissimus.... declaravit, praefato in casu nullum existere impedimentum. » In hac enim specie nulla est lex civilis, quae adoptionem constituat; sed est tantum ex more populi et deinde nulla est in adoptione facienda juris solemnitas praescripta: quomodo ergo constare poterat et de lege adoptionis vigente apud Bulgariae populum, et de adoptione legitime inita? Jure proinde suprema Congregatio S. Officii respondit praefato in casu nullum cognationis legalis existere impedimentum. Ex quibus omnibus licet concludere ex adoptione, prout nunc apud diversas gentes obtinet, etsi recesserit forma juris romani, induci tamen impedimentum cognationis legalis eodem recepto modo, et inter eas omnes personas, quas canones et Ecclesiae praxis usque adhuc respexerunt. Receptus autem modus est, quod leges civiles adoptionem admittant, quod simulacrum imitans naturam ab eis pendet ut introducatur; et deinde quod servantur solemnitates ab eisdem legibus praescriptae, eisque intervenientibus adoptio ineatur. - Adno-

tat demum Giraldi *loc. cit.* cum Sanchez *lib. 7 dist. 64 num. 19* cognationem legalem matrimonio supervenientem debiti petitionem minime impedire, cum nullus textus ad hoc inveniatur, et odiosa non debeant extendi.

TITULUS XIII.

De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae.

1.° In hoc titulo sermo est de affinitate orta ex copula illicita, cum in subsequenti sermo sit de affinitate orta ex copula licita simul et de consanguinitate. In hoc vero titulo aguntur quatuor quaestiones, prout copula illicita habet locum vel antecedenter ad sponsalia de futuro aut matrimonium, vel potius post sponsalia aut matrimonium initum; et in omnibus istis casibus quaeritur quid praedudicet talis copula sponsalibus aut matrimonio contrahendo vel contracto.

2.° Si copula illicita habita sit cum consanguinea ejus, quam sibi velit quis in sponsam de futuro eligere, potestne cum hac sponsalia de futuro contrahere? Et respondetur non posse eam sibi in sponsam eligere, quia promissiones non

valent de re, quam quis praestare nequit; atqui matrimonium cum hac haberi non potest obstante affinitate ex copula illicita, ergo cum tali sponsalia nequeunt contrahi. Haec omnia jam ex dictis in titulo primo hujus libri clara sunt. Similiter ex hac illicita copula cum consanguinea ejus cum qua quis sponsalia de futuro antecederet contraxit, resolvuntur haec sponsalia ex superveniente affinitate ex *cap. 2 et 9 h. t.* et prout notatum est praedicto titulo primo. Tantummodo hic quaeri potest in quo gradu consanguinitatis debeat illa esse cum sponsa, ut ex copula cum ea habita vel sponsalia iniri de novo nequeant vel jam contracta resolvantur ex affinitate superveniente? Et dicendum est ante Concilium Tridentinum cum nulla esset differentia inter affinitatem ortam ex copula fornicaria vel maritali *argum. cap. 8 de consang. et affinit.*, affinitas contrahebatur ex copula habita cum sponsae consanguinea usque *ad quartum gradum*: sed cum Concilium Tridentinum postea distinxerit *cap. 4 de reform. matrim.* inter affinitatem contractam *ex fornicatione* et aliam ortam ex copula maritali, illamque, quae ex fornicatione contraheretur, inducentem impedimentum quod matrimonium postea contractum dirimit ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu conjunguntur restrinxerit, facile est concludere quod copula habita cum consanguinea sponsae in primo et secundo gradu tantum interdicit sponsalia inire vel jam contractaolvere: unica si-

quidem ratio in casu interdictionis sponsalium contrahendorum, vel resolutionis sponsalium jam contractorum ea est, quia inter illas personas ex affinitate jam existente vel superveniente matrimonium contrahi nequit.

3.º At quid censendum est de matrimonio cum ea contrahendo, cujus consanguineam quis carnaliter cognovit? Responsio in promptu est, eam non posse sibi in matrimonium copulare; nam ex hac affinitate impedimentum est, ne eam sibi in uxorem valeat assumere; et quidem id valet, post Concilium Tridentinum *ex d. cap. 4*, si in gradu primo et secundo consanguinea sit cum ea in uxorem copulanda cum antiquitus id vigeret usque ad quartum gradum. Quo in loco mihi videtur adnotandum Concilium Tridentinum jure nominasse *hanc affinitatem ex fornicatione* ut distingueret inter copulam habitam vel ex matrimonio aut in specie matrimonii, et copulam fornicariam. Et profecto quando hic sermo est de copula fornicaria et de affinitate ex fornicatione, excluditur quaecumque copula etiam illicita nempe sub specie matrimonii, et recensetur tantum fornicaria ex qua affinitas usque ad secundum gradum coercetur. Et non desunt graves rationes ad id evincendum. Nam Concilium Tridentinum potissime has juris antiqui fecit correctiones ex ratione assignata in *cap. 2*: « docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus

vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur; » prout ex altera ratione quod haec impedimenta soleant latere si sunt ex fornicatione. Verum haec impedimenta non latent si sunt ex copula maritali, aut ex ea quae acta est sub specie matrimonii. Quapropter meo iudicio reprehendenda est illa dictio, qua quoad affinitatem incurrendam distinguitur inter copulam licitam, et illicitam, ut ex prima affinitas dicatur exurgere usque ad quartum gradum, ex alia vero usque ad secundum; cum rectius et conformius menti Concilii Tridentini diceretur, quod ex copula fornicaria enascatur affinitas usque ad secundum, ex alia copula autem enascatur affinitas usque ad quartum gradum, quemadmodum communiter intelligunt Auctores profundiores excepto Sanchez *dist. 67 n. 7*, et aliis nonnullis apud Gallemart *op. et loc. cit.* cujus hac in re satis aperta est opinionis singularitas. Quibus rationibus accedit et alia, nempe non esse admittendam legum correctionem utpote odiosam, nisi in casibus a jure expresse notatis.

4.° At quid demum dicendum erit si haec copula cum consanguinea locum habeat jam constante matrimonio? Respondendum est tunc ex *cap. 1 h. t.* duplicem incurri poenam, nempe: - 1.° Cum non possit matrimonium semel initum solvi, saltem privari jure petendi debitum eum, qui tali crimine se reum reddidit, quamvis non solvatur ab obligatione illud reddendi. Et relate ad

hoc dispensatio datur a S. Poenitentiaria, si crimen est occultum: si vero est publicum, tunc a Dataria Apostolica providetur. At haec poena incurritur post Tridentinum, si copula habita sit cum consanguinea uxoris in primo vel secundo gradu, cum antiquitus incurreretur, si crimen commissum fuisset cum consanguinea usque ad quartum gradum. Id fuit decisum a S. Congregatione Concilii in Responsione probata a Gregorio XIII; quemadmodum notat Gallemart *op. et loc. cit.* - 2.° insuper si commissum fuerit crimen cum consanguinea uxoris in primo gradu, tunc uterque particeps criminis privabatur jure contrahendi *licite* matrimonium cum qualibet persona perpetuo; etsi hoc jure privaretur *ad tempus* si crimen admisisset cum consanguinea sponsae de futuro in primo gradu, prout habet Pirhing *h. t. num. 10* cum aliis. At hodie haec secunda poena non habet locum ex desuetudine, ut notat Giraldi *op. et part. cit. sect. 714*. Nec item S. Poenitentiaria illam poenam inducit, quando dispensat super jure petendi debitum. Solummodo propterea relinquitur imponenda de stylo poena haec interdicens aliud connubium Datariae, quando dispensat super consanguinitate usque ad quartum gradum, ubi intercedat copula incestuosa. Hic vero est notandum Sixtum V pro Urbe et Statu Ecclesiae imposuisse aliam poenam in admittentes tale crimen constitutione « *Volentes* » *Nonis Aprilis 1587*, prout notatur hic: « Quicumque ausu

» nefario scienter matrem et filiam sive duas so-
 » rores germanas carnaliter cognoverit etiamsi eae,
 » earumve altera publicae meretrices fuerint, sive
 » clam sive palam, aut figura matrimonii tale
 » crimen admiserit, sive etiam cum altera earum
 » legitimo matrimonio conjunctus extiterit, poena
 » ultimi supplicii plectatur. - Qua itidem poena
 » mulier puniatur, quae sciens matrem aut filiam
 » vel sororem suam cum aliquo viro rem habuisse,
 » eidem viro ipsa quoque sui corporis copiam fe-
 » cerit. - Similiter volumus, unamquamque mu-
 » lierem, etiamsi instigante humani generis hoste
 » eo devenerit impudentiae, ut corpore publice
 » quaestum faciat, quae cum patre, et filio, sive
 » cum duobus germanis fratribus scienter se car-
 » naliter commiscuerit, sive a praedictis sciens se
 » carnaliter cognosci permiserit, etiamsi eorum al-
 » teri legitimo toro copulata fuerit, poena ultimi
 » supplicii puniri. - Idque etiam in eum virum
 » observari volumus qui sciens, patrem aut filium,
 » vel fratrem suum cum muliere aliqua rem ha-
 » buisse, ipse etiam eandem mulierem carnaliter
 » cognoscere non erubuerit. » - Haec autem omnia
 locum habent, quando tale delictum admissum sit
scienter, ut monet *cap. 1 h. t.*, unde requiritur
 et voluntas et cognitio: proinde si foemina fuerit
 a consanguineo mariti per vim cognita, ea non
 incurrit impedimentum, cum expers culpa sit
 quoque poenae expers. Ut vero docet hic Schmalz-

grueber *h. t. num. 23* sufficit *scientia facti* et
 voluntas, non autem *scientia juris*, ut quis di-
 gnoscat talem poenam esse a jure statutam.

5.º Unicuique patet ea, quae nos diximus de
 affinitate superveniente ex copula habita cum con-
 sanguinea uxoris suae vel sponsae, non posse ha-
 bere locum, si quis cum propria consanguinea car-
 naliter copuletur. Etsi enim ut advertimus ali-
 quando incestuosis prohibeatur secundum matri-
 monium post dispensationem in primo, numquam
 tamen hic incestus potest sponsalibus initis aut
 ineundis praejudicare, prout et conciliando matri-
 monio aut jam existenti, quia ex hoc crimine non
 inducitur cum sponsa vel cum uxore affinitas. -
 Ex his, quae in hoc titulo exposuimus, facile ex-
 plicantur ea, quae advertimus in *Titulo Quarto*,
 nempe de *Matrimonio civili* nuncupato. Etsi enim
 illud matrimonium sit omnino invalidum, et pro-
 inde copula ex eo habita sit prorsus illicita, in
 his locis ubi est promulgatum Concilii Tridentini
 decretum *sess. 24 cap. 1 de reform. matrim.*, ni-
 hilominus non est confundenda cum illa *copula*
fornicaria, de qua loquitur citatum *caput 4 sess. 24*
de reform. matrim. ex qua habetur affinitas di-
 rimens matrimonium usque ad gradum secundum;
 proinde affinitas orta ex consummatione matri-
 monii civilis dirimit usque ad quartum gradum.
 Etsi enim ut diximus non sit verum conjugium,
 habet tamen *formam* conjugii, quam ille solum

negare poterit, qui sensuum testimonio, et totius communitatis renuntiationi valedicat. Non est proinde haec copula, quae possit latere, propter quam rationem restrictum est impedimentum proveniens affinitatis *ex fornicatione*.

TITULUS XIV.

De consanguinitate et affinitate.

1.º Bipartita est hujus tituli tractatio, ut primum de consanguinitate deinde de affinitate sermo sit. Consanguinitas porro, ut habetur communiter apud Doctores: « est vinculum personarum quae ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo per carnalem generationem descendunt. » In qua definitione prius considerandum est quod a cognatione hac inducatur vinculum personarum quod obstat nuptiis inter easdem personas contrahendis. Deinde vero attendendum est hanc cognationem enasci, ex eo quod proveniunt omnes per carnalem generationem ab eodem stipite seu progenitore *propinquo*,. secus omnes homines per sentirent hoc vinculum quia omnes ab Adam et Eva procedunt. In hac porro cognatione seu con-

sanguinitate attendendae sunt *lineae* et *gradus*. Linea est ordinata series personarum ab uno communi stipite descendentium per varias generationes varios in se continens gradus. Et linea duplex est, nempe *recta* et *obliqua* seu collateralis vel transversa. Linea recta illa dicitur, in qua collocantur illae personae, quarum una est genita ab altera, ut puta pater, filius, nepos etc., et si ascendatur per gradus directos ad progenitores, patrem, matrem, avum, aviam etc., dicitur linea recta *adscendentium*, si autem a progenitoribus descendatur recte ad progenitos, puta a patre vel matre ad filium vel filiam, ad nepotem vel nepotem appellatur linea recta *descendentium*. Linea vero obliqua seu collateralis illa nominatur, in qua ponuntur illae personae, quarum una non trahit originem ab altera, quamvis eandem radicem mediatam vel immediatam habeant, ut sunt duo fratres, patruelles etc., quia unus frater non est genitus ab altero, sed ambo immediate procedunt ab eodem patre tamquam stipite communi. Quae linea obliqua aut collateralis est iterum duplex: *aequalis* et *inaequalis*. *Aequalis* est, cum personae in linea collateralis collocatae aequaliter distant a communi stipite, ut frater et soror. *Inaequalis* quando inaequaliter distant ita ut una sit communi stipiti proximior quam altera, ut frater et sororis filia. Gradus autem est certa distantia unius personae ab altera in eadem linea consanguinitatis, quae distantia major est vel minor, prout

per plures vel pauciores generationes numerantur usque ad communem stipitem. - Ad dignoscendum vero quo gradu consanguinei, de quibus quaeritur, inter se distent, una regula traditur pro linea recta, aliae pro obliqua prout linea est aequalis vel inaequalis. Pro linea recta regula est sequens, nempe: tot gradibus una persona ab altera distat, quot sunt personae una dempta, aut quot sunt generationes tot sunt gradus; ita filius a patre distat uno gradu, cum sint duae personae et una generatio; et ita dicatur ex parte matris. Quod spectat vero ad lineam collateralem vel obliquam usque ad saeculum undecimum in ecclesiasticis quoad matrimonium eadem regula habebat locum, ut tot essent gradus quot personae una dempta, vel tot gradus, quot generationes, prout jure romano factitabatur. At eo saeculo occasione disputationis inter Petrum Damianum et Jurisconsultum Ravennatem Alexander Papa II post Concilium Romae habitum adhibendum esse duxit modum computationis germanicae prae romano insistens in hoc principio, scilicet: « personae a se invicem tot gradibus distant, quot gradibus distant a communi stipite » et ita computatio generationum ab una tantum parte facta est; et ita quidem, ut si linea esset aequalis maneret invariata talis regula, ac proinde fratres erant in primo gradu, patruelles in secundo etc. Si autem linea fuisset inaequalis, tunc vigeret sequens regula, nempe: quo gradu remotior persona distat a com-

muni stipite, eodem gradu distant inter se. Sic si Cajus habeat duos filios Titium et Sempronium, et Sempronius iterum habeat filium et nepotem, si jam quaeratur in quo gradu nepos Sempronii sit consanguineus Titii? responderetur eum esse consanguineum in tertio gradu nam nepos Sempronii distat in tertio gradu a communi stipite. Haec vero computatio canonica diversa in linea obliqua a computatione lineae rectae et a computatione civili quae in linea obliqua aequali est duplo major locum habet tantum in matrimonio; nam pro aliis respectibus puta successione ad haereditates, aliisque computatio canonica congruit semper cum computatione civili.

2.º Queis positis quaeritur quomodo consanguinitas obsit matrimoniis conciliandis? Et respondendum est obesse quoad aliquas personas et gradus ex *jure naturali*, quoad aliquas ex *jure positivo divino*, et demum quoad aliquas ex *jure ecclesiastico*; id quod sequenti ex sermone patebit. Et quidem *jure naturali* prohibetur conjugium inter eas personas, quae se mutuo respiciunt nomine parentum et liberorum vel quae sunt in linea recta. De *jure naturali* id dicimus esse prohibitum, cum inter eas personas naturaliter intercedat ea necessitudo et relatio *majoritatis et subjectionis*, atque his respondens *benevolentia reverentialis*, quae consistere nequit cum affectione maritali exigente *aequalitatem* inter conjunctas personas, ita ut tunc maritalis affectio incipiat,

cum deficit reverentialis illa benevolentia. Cui rationi accedit alia quae post peccatum primi parentis etiam induit rationem turpitudinis non revelandae, ut *Levit. XVIII v. 7* dicitur: « Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non discooperies; mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus » et *v. 10*: « Turpitudinem filiae filii tui, vel neptis ex filia non revelabis, turpitudinis tuae est. » Hinc est tales nuptias *jure gentium* consideratas ubique fuisse incestas, id est ab omnibus civilibus populis licet idololatriae horrore habitas, ut Jurisconsultus ait *legg. 53 et ult. ff. de ritu nuptiarum*, quamquam non defuerint in Asia et Africa populi adeo moribus perditum, ut haec matrimonia inierint, sic referente de illis populis Ovidio *Metamorph. lib. I*:

» In quibus et nato genitrix et nata parenti

» Jungitur et pietas geminato crescit amore.

Quod naturae vetitum non solum in primis lineae rectae gradibus, sed et in omnibus etiam remotioribus fuisse recognitum certum est, cum pro omnibus eadem ratio adsistere videatur. Pone sequitur jus *positivo-divinum* nuptias interdicens et irritas faciens inter sororem et fratrem, vel ut aiunt scholae, inter personas existentes in primo consanguinitatis gradu lineae obliquae, utroque parente vel alterutro genitis, de quo interdicto loquitur Moyses in *Levitico XVIII v. 9*: « Turpitudinem sororis tuae ex patre, sive ex matre quae domi vel foris genita est non revelabis » et *v. 11*:

« Turpitudinem filiae uxoris patris tui quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. » Etsi enim non desint Doctores qui teneant has quoque nuptias jure naturali inhiberi, cujus legis dispensatio facta a Deo sit in matrimoniis contractis a filiis et filiabus communium Protoparentum; aliis tamen Doctoribus displicet hic loquendi modus, cum et in jure naturali non admittant possibilem dispensationem; cumque talis locutio aliquantulum sit divinae sapientiae contumeliosa, quae ita humani generis propagationem ordinaret, ut statim in lege naturae dispensatio necessaria ad obtinendum finem videretur. Haec proinde eruitur edita lex atque a Deo universo humano generi imposita tum cum ex uno stipite procedentes homines in plures coivere familias, tamquam *ad honestatem familiarum contutandam, fovendamque charitatem inter diversas familias*, qui duo fines principio non habebantur. De hoc altero fine loquens S. Augustinus *lib. 15 de civit. Dei* aiebat: « Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia diversarum necessitudinum vinculis necterentur, nec unus in uno multa haberet, sed singulae spargerentur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligentius colligandam plurimae plurimos obtinerent. » Hoc autem jus positivo-divinum non solum Judaeos ex citatis verbis Levitici et Christianos, sed universum humanum genus respicere atque obligare dicendum est. Impositum quippe

est a Deo Adami posteris, quando pluribus efformatis familiis non amplius necesse fuit ut fratres sororibus in matrimonium copularentur. Divini hujus vetiti vestigium, in jure a civilibus gentibus peraeque observato videmus, cum Plato *lib. 8 de legibus* talia conjugia *minime pia* sed Deo invisae esse dixerit, et Seneca idem asseruerit, et Pomponius in lege *Libertinus 8 ff. de ritu nuptiarum* dicat inter tales personas conjugium *moribus* non *legibus* fuisse vetitum, scilicet non ex placito juris civilis sed antiqua traditione. Cujus rei validius argumentum habemus ex *cap. Gaudemus 8 de Divortiiis* in quo Innocentius III conjugia ab infidelibus ante receptam fidem contracta in secundo et sequentibus consanguinitatis gradibus, eis ad fidem accedentibus non esse separanda iudicaverit cum constitutionibus canonicis non arctarentur, quando talia iniverunt conjugia: profecto ex sensu contrario eruitur quod si in primo lineae obliquae gradu in infidelitate contraxissent, eos separandos esse, rescripsisset; quod arguere facit haec conjugia si non jure naturali, divino saltem positivo inhiberi, non autem legibus tantum ecclesiae, quae infideles non tenentur. Revera si ad baptismum sic copulati accederent, eos separandos esse ab Ecclesia rescribi ex hoc pro certo putarem, quod ex praxi S. Sedis quoad fideles non solum in contrahendis conjugiiis dispensatio numquam conceditur, sed nec in contractis bona fide, etiam occulto existente hoc impedimento gravissimis licet

existentibus rationibus, nec dispensatio ad renovandum consensum, nec sanatio in radice adhibeatur; quod apprime demonstrat non a jure ecclesiastico hoc impedimentum profluxisse sed vel a jure naturali, vel ex jure positivo divino, in quo dispensandi potestas a Deo non fuit Ecclesiae concessa.

3.º Postremo venit jus ecclesiasticum in aliis cognationis gradibus lineae obliquae sub poena irritationis matrimonia interdicens. Genesis autem ecclesiastici juris hac in parte sequens est. - Principio Ecclesia praeter jus naturale et divinum respicere visa est jus romanorum et legitimitatem personarum quoad consanguinitatem in matrimoniis conciliandis. Licet enim afferantur plures canones in Decreto Gratiani, tamquam editi ab Hygino, Fabiano, Calixto, Julio I, et Gregorio Magno, quibus usque ad quartum et septimum etiam gradum consanguinitatis nuptiae prohiberentur et haberentur invalidae: hi tamen Canones ab eruditibus et criticis habentur gravibus ex rationibus tamquam apocryphi, ut pluribus probat Sebastianus Berardus in opere *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, parte 2 cap. 59 sect. IX et sect. XV*. Nec mirum si in principio etiam in hoc Romani Pontifices legum civilium dispositiones sequi non sunt dedignati, proinde sua approbatione regulas canonicas fecerunt, quemadmodum in aliis idem factitaverunt usque dum aliam sequi regulam necessarium vel evidenter

utile non perspexerint. Jus autem Romanorum diversas vicissitudines passum est. Initio enim in tertio eorum computationis gradu nuptiae prohibita sunt, quia turbato naturae ordine saltem nominum religione tali ex concubito nati filii et fratres una nascebantur, tamquam ex matrimonio inter patrem et filiam improbe contracto, cum patris nomen avunculo et patruo jure convenire certum sit; *leg. per adoptionem 18 § I, et leg. sororis 39 ff. de ritu nuptiarum*. Quod si Claudii Imperatoris Agrippinam fratris filiam depereuntis exemplo et Senatus consulto impetrato deinde permissum est, ut in tertio quoque gradu matrimonia fierent legitime, ut fratris filiam uxorem ducere non etiam filiam sororis liceret; hoc tamen jus nefarium appellatum et Christianis moribus ac disciplinae adversum edicto Costantini et Constantis sublatum est, atque instauratum antiquum jus de vetitis in tertio gradu conjugii: *leg. I Cod. Theodos. de incestis nuptiis*. Consobrinorum etiam connubia seu in quarto gradu cognationis juxta computationem civilem, diu apud romanos ignorata fuerunt, et ab iis abstinebant *continentia potius quam certa lege*. Sed progressu temporum impune matrimonia inter consobrinos jungebantur. Primus qui circa annum Christi 390 lege scripta id vetuit, fuit Theodosius Magnus *leg. I Cod. Theod. Si nuptiae ex rescripto petantur*. De quo S. Ambrosius (*epistol. ad Paternum 60 juxta edit. Maurinam*) « Theodosius Imperator etiam

fratres patruales et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine, et severissimam poenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pia pignora, et tamen illi invicem sunt sibi aequales, tantummodo quia propinquitatis sunt necessitudine et fraterno societatis ligati vinculo, pietati eos voluit debere quod nati sunt. » De hoc Imperatoris edicto meminit Sextus Aurelius Victor seu ut alii volunt Victorinus in epist. ad Cesarem, inquit: « Tantum pudori et continentiae tribuens ut consobrinarum nuptias vetuerit tamquam sororum » et demum S. Augustinus circa annum 428 *de civit. Dei lib. 15 cap. 16* « Verumtamen quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinorum conjugia prohibita esse, quia nescio quomodo inest humanae verecundiae quidam naturale, atque laudabile, ut cuique debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea commineat. » Theodosianum hoc edictum licet deinceps ab Arcadio Imperatore fuisset revocatum anno 405, et Justinianus *inst. de nuptiis § 4* inter patruales et consobrinas nuptias permisisset, fatendum tamen est in Occidente viguisse etiam per aevum Concilio Trullano anterieus, quo in Concilio celebrato anno 692 *can. 52* consobrinorum nuptiae improbatae sunt, et ita eadem praxis in hoc conjunxit Orientalem Ecclesiam Occidentali. Fuit ergo in Latina et Graeca Ecclesia impedimentum cognationis extensum usque ad secundum gradum canonicae computationis inclu-

sive, vel ad *secundam generationem*. Quae disciplina perduravit usque ad saeculum octavum, quo tempore latus esse videtur Canon relatus in Decreto *causa 55 quaest. 2 can. 16*: « Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem, et quamdiu se agnoscunt adfinitate propinquos ad hujus copulae non accedant societatem. » Canon hic qui a Gratiano tribuitur Gregorio Magno, a Romanis Correctoribus dicitur opus Gregorii II qui Pontificatum gessit ante medietatem saeculi octavi, ab aliis eruditis tribuitur Carolo Magno in Capitularibus cum consensu Auctoritatis ecclesiasticae. Verius autem est Gregorii III dicti *Junioris* qui Pontificatum gessit ab anno 731 ad an. 741; nam in epistola ad Bonifacium Episcopum Moguntinum *cap. 5* eadem verba relati canonis leguntur. Quidquid sit de hac quaestione, non videtur esse ambigendum disciplinam hanc non fuisse saeculo octavo antiquiorem. Ex tunc consanguinitatis impedimentum respexit septimam generationem vel septimum gradum canonicae computationis ut explicavit Alexander II decreto suo in Concilio celebrato anno 1065 cujus lectio est apud Gratianum *caus. 35 quaest. 5 can. 2*. Consentaneae huic dispositioni sunt, constitutio Nicolai II quae refertur a Gratiano *caus. 35 q. 2 can. 17* et constitutiones conciliorum Guarmaeciensis et Lugdunensis quae habentur *caus. 35 qu. 2 can. 18 et 19*. Hujus disciplinae introdu-

cendae juxta Doctores plures causae adsignantur, nonnullae generales aliae speciales et pro temporum circumstantiis. Causae generales fuerunt eae jam relatae, scilicet ut matrimonia extra familiam et consanguinitatem fierent, prout exposuerunt Beati Ambrosius et Augustinus citatis locis, et ne subverterentur diversarum necessitudinum vincula, quibus homines connecti socialis vitae postulat necessitas. Ratio vero temporum haec fuisse videtur, ut inter diversos populos ac gentes quae se mutuo oderant in illis vicissitudinibus bellorum, invasionum etc. amicitiae vinculum propter affinitatem protenderetur; ideo tam latae inter consanguineos et affines interdicta conjugia et fere nulla spes dispensationis oblata. Atque revera ita accidit: disparuit enim diversitas populorum in quibuscumque regnis, et sanguine mixto alternis ex gentibus texta est una propago. Mansit hoc jus usque ad initium saeculi XIII; nam tunc Innocentius III in Concilio Lateranensi IV prout habetur *cap. 8 h. t.* constituit: « prohibitionem copulae conjugalis quartum consanguinitatis et affinitatis gradum de caetero non excedere, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. » Cui constitutioni tamquam declaratio accessit Decretum Gregorii IX *cap. 9 h. t.* « Vir a stipite quarto gradu, et mulier quae ex alio latere distat quinto secundum regulam approbatam qua dicitur: quoto gradu remo-

tior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendantium ex eodem, licite possunt matrimonialiter copulari. » Ex quibus exurgit regula « cognationem in linea obliqua dirimere conjugium usque ad quartum gradum canonicae computationis inclusive concurrentem cum aequali vel proximiori, non vero si concurrat cum remotiori. » Atque hoc jus hodie viget, cum Concilium Tridentinum nihil duxerit hac super re variandum. Mutationis hujusmodi veteris disciplinae quae jam a quatuor et amplius saeculis obtinebat causae quaeri possunt duplici proposita quaestione pro duplici respectu: - 1. Cur Innocentius III antiquam legem in tribus generationibus quinta, sexta, et septima matrimonia dirimentem aboleverit? - 2. Cur ad quatuor gradus vel generationes observandam voluerit in posterum, et non potius ad tres vel duas? Quibus quaestionibus ut responsio detur, sic procedendum est. Quod ad primam pertinet id nobis satis revelat ipse Innocentius, qui in principio illius canonis praeposita animadversione, secundum varietatem temporum statuta quandoque humana variari, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcat, subjungit prohibitionem copulae conjugalis in ulterioribus post quartum gradibus, jam non posse absque gravi dispendio generaliter observari. Quae enim lex tantae latitudinis exigi videbatur ut acomodata circumstantiis temporis medii, et licet maxime gravans, sustinenda tamen erat propter

generale illud bonum societatis, aevo Innocentii III obtento jam fine ad quem ordinata erat importabilis reputabatur, cohiberi proinde debebat, ne plus aequo fideles gravarentur. Aliud quoque dispendium eo tempore erat, quo nec publici libri de contractis matrimoniis aderant, et proinde ex testibus dignoscendum quo gradu quis ab alia distaret, et in remotioribus gradibus deficiat plerumque memoria: atque ita multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahebantur matrimonia in quibus vel non sine magno peccato perseveraretur, vel ea non sine ingenti scandalo dirimerentur. Quod ad secundam quaestionem attinet, principio haerendum esse videtur. Deridetur enim ab aliquibus Innocentius, ad quartum gradum matrimonia inter cognatos interdicens, *quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis*. Verumtamen risum non meretur qui petatum principium ex physica sui temporis affert ad exornandam aliquam decisionem quae ceteroquin honesta est, atque accomodata populo, pro quo legem dictat. At recondita alia ratio erat, eaque talis, quae jurisprudentiam canonicam jam ab antiquo gubernavit, scilicet *matrimonia debere extra cognationem et familiam fieri*. Jam vero cum homines de facili possint quartam generationem videre, non sic quintam proinde cohibuit in his quatuor generationibus, quia facile occurrere poterat ut non obstante praescripto legis matrimonia haec fieri contingeret;

quo casu lex non satis provida videretur, quae evenientes plerumque casus non comprehendisset. Ratio haec praeter alios Doctores traditur a Gonzalez in Comment. ad quinque libros Decretalium *lib. IV cap. 8 in Notis ad lit. d.*

4.º Altera pars tituli hujus loquitur de affinitate: quae est « propinquitas personarum ex carnali copula eaque perfecta et consummata proveniens. » Consulto dicimus copulam debere esse perfectam, nam si copula sit tantum imperfecta sive inchoata, vel si interveniant actus quantumcumque impudici, sive habeatur pollutio extra vas generationi destinatum non oritur affinitas; ratio autem redditur in *can. Fraternalitatis causae 35 quaest. 10* nempe quod per talem copulam vir et foemina fiunt una caro; hinc exurgit etiam si una pars oppressa sit et reluctans ex *cap. 6 de eo qui cognovit* etc. Affinitas vero non contrahitur inter virum et foeminam, qui exercent copulam perfectam, sed vir contrahit tantum affinitatem cum consanguineis mulieris, cum qua habuit copulam, et vicissim mulier tantum contrahit affinitatem cum consanguineis viri a quo se cognosci permisit. Neque demum affinitas exurgit inter consanguineas mulieris et consanguineos viri. Sunt ergo vir et foemina se cognoscentes quasi radix et stirps, qui fundant affinitatem, et per hoc sanguis suorum consanguineorum mediantibus ipsis attingatur, et sanguis unius consanguinitatis ingrediatur quasi fines alterius cognationis. Ex dictis sequitur duos

fratres unius cognationis posse nubere duabus sororibus alterius cognationis; quod pater et filius possint in conjuges ducere matrem et filiam, et privignus filiam novercae. Etsi vero affinitas non habeat nec lineas nec gradus, ut ait Modestinus *Digest. leg. 4 § gradus de gradibus et affinibus*, nihilominus tum ex jure civili tum canonico habentur in ea et lineae et gradus ad instar cognationis. Unde linea alia est *recta*, alia *obliqua*, ad dignoscendam vero lineam et commensurandos gradus a jure canonico traditur haec regula, nempe « in eo gradu et in ea linea quis est affinis uxori vel mulieri cognitae in quo est consanguineus marito » et vicissim « in eo gradu et linea est aliqua affinis marito, quo est consanguinea uxori. » Unde eadem regula a jure ecclesiastico servata est in impedimento affinitatis, quae servata est in impedimento consanguinitatis, easdemque vicissitudines leges ecclesiasticae passae sunt, ac quae fuerunt in interdicens matrimonio cum consanguineis. Hinc quando prioribus saeculis Ecclesia civilem jurisprudentiam est imitata, et retenta fuit inhabilitas ad nuptias in omnibus gradibus lineae rectae etiam in affinitate, nuptiae quoad consanguineos in linea obliqua interdictae sunt in tertio gradu computationis civilis, sic et in tertio gradu prohibitae sunt inter affines. Postquam autem inter patruales et consobrinas interdicta fuerunt conjugia, tunc et inter affines secundo gradu computationis canonicae eadem fuerunt improbata. Celebris est con-

stitutio Rotharii Regis Longobardorum Italiam occupantium circa annum 650 quae refertur in *lib. 2 Legum Longobardorum tit. 8 § 4* his verbis: « Ut nullus praesumat relictam de consobriano suo uxorem amodo ducere. Hoc autem ideo affiximus, quia Deo teste, Papa Urbis Romae (forte S. Martinus I vel ejus antecessor Theodorus I), qui in omnimundo toto caput Ecclesiarum Dei et Sacerdotum est, per suam epistolam nos adhortatus est, ut tale conjugium fieri non permetteremus ». Cum autem saeculo octavo cognatio interdixit nuptias in linea obliqua usque ad septimam generationem, affinitas pariter usque ad septimum gradum canonicae computationis nuptias vetuit et irritas fecit juxta *can. 30 Conc. Mogunt.* relatum a Gratiano in *can. 14 caus. 35 q. 2.* « Sane eadem quae in viri, haec nimirum in uxoris parentela de lege nuptiarum, regula custodienda est: quia ergo constat eos duos esse in carne una, communis illis utrinque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: erunt duo in carne una. » Id quod etiam vetitum est de affinitate orta ex copula illicita, prout et consuetudo tulit et argui videtur ex *cap. fin. de divortiis in prima collectione, Gonzalez tom. 4 p. 168.* - Imo quod spectat ad affinitatem ortam ex copula conjugali certum est, in tres species distinctam esse vel genera, atque in omnibus istis usque ad septimum gradum nuptias dirimi. Idque perduravit usque ad *Conc. Lateran. IV* sub Inno-

centio III quod sub *can.* 50 relato *cap.* 8 *h. t.* abolevit prohibitiones in secundo et tertio affinitatis genere, et adfinitatem primi generis, tam ex copula maritali, quam ex fornicaria impedimentum statuit esse conjugii usque ad quartum gradum. Demum Conc. Tridentinum *sess.* 24 *cap.* 4 statuit ut in primo tantum et secundo gradu affinitatis ex fornicario coitu proficiscentis matrimonium contrahendum impediretur et contractum irritum haberetur nihil innovans circa adfinitatem ex copula maritali.

5.° Unicuique autem patet impedimentum affinitatis totum esse de jure positivo ecclesiastico. Id satis est perspicuum in linea obliqua quoad omnes gradus, in quibus scilicet Ecclesia dispensat. Fortasse aliqua difficultas esse potest in linea recta, in qua Ecclesia saltem in primo gradu numquam dispensavit. Atqui tamen omnes Doctores nunc unanimes sunt in assertionem, quod etiam primus gradus lineae rectae sit interdictus tantum jure ecclesiastico, et hanc constantem Ecclesiae praxim in deneganda dispensatione esse *oeconomiam*, licet non defuerint qui de jure naturali censuerint illum gradum dirimere matrimonium. Nam certum est affinitatem contrahi non minus ex copula illicita seu fornicaria, quam ex copula maritali. At Ecclesia quae numquam dispensavit in affinitatis primo gradu lineae rectae, quando ex copula maritali provenit, ex altera parte quotidie

dispensat, si haec affinitas orta sit ex copula fornicaria, prout habetur ex praxi S. Poenitentiariae. Concludendum proinde est, ut primo asseruimus, affinitatis impedimentum esse totaliter ex Ecclesiae instituto.

TITULUS XV.

De frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi.

1.° Impotentia, prout in titulo assumitur est « inhabilitas seu incapacitas ad habendam copulam carnalem perfectam seu de se aptam ad prolis generationem. » In quo conceptu vel definitione impotentiae duo sunt praecipue advertenda quod vel non possit haberi copula, unde vir et mulier fiunt *una caro*, vel quod illa copula *de se apta* non sit ad prolis generationem. Unde non sufficit vas naturale mulieris perrumpere, nisi emittatur verum semen, quod est necessarium ad prolis generationem, licet non requiratur ut habeatur semper prolis generatio; ac proinde impotentia non confunditur cum sterilitate. Indifferens autem est quod haec impotentia oriatur ex quolibet naturali defectu partium corporis genitalium

seu ex disproportione earumdem, vel ex frigiditate aut ex quolibet maleficio, de quibus omnibus agit Rubrica Tituli.

2.° Haec vero impotentia est: - (a) alia *naturalis* et *intrinseca*, ut arcitudo, frigiditas, nimia caliditas etc. alia *accidentalis* et *extrinseca* orta puta ex maleficio aut opera hominum, ut sunt facti eunuchi, maleficiati etc. - (b) alia pariter est *temporanea*, alia *perpetua*, prout ad tempus durans, ut proveniens ex tenera aetate, quae aetate procedente redimitur, vel quae semper de se durat, nec licitis mediis adhibitis cessare potest aut depelli nequit sine vitae periculo; - (c) alia similiter est *absoluta*, alia *relativa*, prout impedit commercium cum qualibet persona diversi sexus, vel quae tantum impedit cum una vel alia persona; ut puta cum virgine non autem cum vidua et ab alio jam cognita. - (d) Alia demum est impotentia *antecedens* alia *subsequens* matrimonium, quae nempe jam verificabatur antequam matrimonium celebraretur, aut quae coepit habere locum, cum jam matrimonium fuerat conciliatum.

3.° Quibus positis, nonnullis propositionibus dictata canonica proponemus, quibus certo erit quando impotentia est dirimens impedimentum, et quando id non verificatur. - I. Impotentia ad maritalem copulam habendam, dummodo sit perpetua et antecedens, sive sit absoluta sive relativa dirimit matrimonium et quidem jure naturae. Rationabilitas istius propositionis demonstratur ex

cap. 2 et 6 h. t., et ex allegato argumento, quod talis impotentia impedit, quominus vir et mulier fiant una caro, et ex perpetuitate istius impotentiae, quod id numquam possit verificari. Indifferens autem est, quod talis impotentia sit absoluta vel relativa; nam etsi tantum relativa sit, semper tamen arguetur, quod hoc matrimonium ex vitio permanenti personarum nequeat consummari. Differentia haec tantum est, quod si impotentia talis respectu unius partis est absoluta, haec cum nulla alia persona poterit contrahere matrimonium, obstante semper tali impedimento dirimente. E contra si impotentia hujusmodi est relativa simpliciter obstat validitati praesentis conjugii, sed poterit dari cum alia persona verum conjugium, si relate ad eam non obstet impotentia. Id verificatur in casu, quo impotentia praesertim habeatur ex non servata proportione membrorum genitalium. Ex quo eruitur eunuchorum utroque teste carentium et spadonum matrimonium esse invalidum, quia ex interno vitio vel cum foemina non possunt coire, aut si coeant copula non est apta de se ad prolis generationem. Si autem quaeratur quo jure in casu dirimatur matrimonium, nos contra nonnullos Doctores cum communi Canonistarum et Theologorum sententia tenemus hoc esse impedimentum juris naturae, ut declarat Sixtus V in Litteris in forma Brevis Episcopo Novariensi Apostolicae Sedis in Regnis Hispaniarum Legato « *Cum frequenter* » sub die 27 Junii 1587 per verba: « Nos

» igitur attendentes, quod secundum canonicas » sanctiones et naturae rationem, qui frigidae naturae sunt et impotentes, iidem minime apti ad » contrahenda matrimonia reputantur », ac deinde matrimonia ab ipsis attentata nulla, irrita, et invalida declarat. In quibus litteris in totum talia matrimonia proscripsit, nec permisit quod amplius inirentur, etiamsi partes promisissent se simul habituros tamquam fratres et sorores, prout antiquitus ex consuetudine erat permissum, cum experientia ostendisset hanc conditionem non fuisse servatam. Quae nostra sententia valet quoque in casu quo impotentia haec fuerit relativa, et orta quoque ex maleficio, quia consummationem matrimonii praesentis impossibilem reddit. Ex quo eruitur huic impedimento esse quoque obnoxios infideles, utpote provenienti ex jure naturali. - II. Temporanea impotentia ad copulam maritalem habendam etiamsi sit antecedens sive absoluta sive relativa non est impedimentum matrimonii dirimens nisi in casibus a jure contemplatis. Id eruitur ex *cap. 6 h. t.*, et ratio est quia isti non sunt absolute impotentes ad actum conjugalem, ad quem absolute se obligant, sed solum ad tempus, proinde valent tradere potestatem sui corporis relate ad illum actum. Neque, ut dictum est in *tit. II* ad matrimonium requiritur de jure naturae potentia actualis ad copulam maritalem, sed sufficit si non obstet impotentia perpetua. Ideo vero in propositione addidimus exceptionem de casibus

contemplatis a jure, quia id statutum est in im-
 puberibus, qui nequeunt ex jure positivo ecclesia-
 stico matrimonium contrahere, quamdiu ex defectu
 aetatis ad copulam sunt actu inhabiles. At id de
 jure positivo ecclesiastico non est in quovis casu
 inhibatum; ergo manet propositio. Hinc ex praxi
 Ecclesiae admittitur conjugium aegrotorum etiam
 graviter decumbentium, et etiam in mortis articulo
 constitutorum; sicut et senibus permittitur conju-
 gium, nisi sint ita decrepiti et exhausti, ut sint
 impotentes ad copulam habendam, nec iudicio me-
 dicorum ulla arte valeant juvari. Idem dicatur de
 mulieribus sterilibus aut de iis quae parere ne-
 queunt sine vitae discrimine, vel nonnisi foetum
 mortuum. - III. Impotentia ad maritalem copulam
 habendam quaecumque sit matrimonio jam con-
 tracto superveniens illud non dirimit, sive hoc jam
 fuerit consummatum, aut simpliciter ratum. Res
 certissima est de matrimonio consummato propter
 ejus plenam indissolubilitatem, cum non possit
 dissolvi nisi per mortem, et habetur decisum ex
can. 25 caus. 32 quaest. 2. Solum proinde quaestio
 esse potest de matrimonio rato antecedente. Atqui
 tenendum est nec matrimonium ratum dirimi per
 supervenientem quaecumque impotentiam. Osten-
 ditur ex *cit. can. 25 in Gratiano*, et ex ratione,
 quia matrimonium ratum non solvitur quoad vin-
 culum, nisi ex professione religiosa solemniter, aut
 ex pontificia auctoritate. Imo si impotentia matri-
 monio superveniat, si dubitatur an sit perpetua,

licitum est conjugibus conari ad habendam co-
 pulam. Si vero est certo perpetua, tunc si provenit
 ex seminis defectu, puta in eo qui factus est eu-
 nuchus, plures gravesque auctores apud Schmalz-
 grueber *h. t. num. 50* tenent licitum esse reddere
 et petere cum in casu saltem habeatur remedium
 concupiscentiae, nullo alio interveniente obstaculo;
 secus vero si impotentia impediatur seminis intra
 vas receptionem, quia tunc illicitus est coitus.

4.º Relate vero ad impedimentum impotentiae
 non eadem semper fuit ratio judicandi in Ecclesia,
 etsi principia eadem semper fuerint admissa. An-
 tiquitus enim, etsi ipsa recognosceret nullum esse
 matrimonium a perpetuo et antedecenter impoten-
 tibus contractum, consuevit tamen judicare illud
 non esse solvendum, sed debere partes simul per-
 manere, et si non poterant tamquam vir et uxor,
 essent simul tamquam frater et soror. Id probatur
 ex Decretali Alexandri III relata in *cap. 2 h. t. in prima collectione*, et ex Decretali Clementis III
cap. 4 h. t. in eadem prima collectione, ex *can. 2
 caus. 33 quaest. 1 in Decreto falso tributo Gre-
 gorio Magno*, cum potius sit ex Capitularibus
 Francorum, et demum ex *cap. 4 h. t.* per verba:
 « Licet incredibile videatur, quod aliquis cum ta-
 libus contrahat matrimonium, Romana tamen Ec-
 clesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas
 tamquam uxores habere non possunt, habeant ut
 sorores. » Rationes talis praxis videntur fuisse se-
 quentes, nempe primo quia Ecclesia reformidabat

contemplatis a jure, quia id statutum est in im-
 puberibus, qui nequeunt ex jure positivo ecclesia-
 stico matrimonium contrahere, quamdiu ex defectu
 aetatis ad copulam sunt actu inhabiles. At id de
 jure positivo ecclesiastico non est in quovis casu
 inhibatum; ergo manet propositio. Hinc ex praxi
 Ecclesiae admittitur conjugium aegrotorum etiam
 graviter decumbentium, et etiam in mortis articulo
 constitutorum; sicut et senibus permittitur conju-
 gium, nisi sint ita decrepiti et exhausti, ut sint
 impotentes ad copulam habendam, nec judicio me-
 dicorum ulla arte valeant juvari. Idem dicatur de
 mulieribus sterilibus aut de iis quae parere ne-
 queunt sine vitae discrimine, vel nonnisi foetum
 mortuum. - III. Impotentia ad maritalem copulam
 habendam quaecumque sit matrimonio jam con-
 tracto superveniens illud non dirimit, sive hoc jam
 fuerit consummatum, aut simpliciter ratum. Res
 certissima est de matrimonio consummato propter
 ejus plenam indissolubilitatem, cum non possit
 dissolvi nisi per mortem, et habetur decisum ex
can. 25 caus. 32 quaest. 2. Solum proinde quaestio
 esse potest de matrimonio rato antecedente. Atqui
 tenendum est nec matrimonium ratum dirimi per
 supervenientem quamcumque impotentiam. Osten-
 ditur ex *cit. can. 25 in Gratiano*, et ex ratione,
 quia matrimonium ratum non solvitur quoad vin-
 culum, nisi ex professione religiosa solemniter, aut
 ex pontificia auctoritate. Imo si impotentia matri-
 monio superveniat, si dubitatur an sit perpetua,

licitum est conjugibus conari ad habendam co-
 pulam. Si vero est certo perpetua, tunc si provenit
 ex seminis defectu, puta in eo qui factus est eu-
 nuchus, plures gravesque auctores apud Schmalz-
 grueber *h. t. num. 50* tenent licitum esse reddere
 et petere cum in casu saltem habeatur remedium
 concupiscentiae, nullo alio interveniente obstaculo;
 secus vero si impotentia impediatur seminis intra
 vas receptionem, quia tunc illicitus est coitus.

4.° Relate vero ad impedimentum impotentiae
 non eadem semper fuit ratio judicandi in Ecclesia,
 etsi principia eadem semper fuerint admissa. An-
 tiquitus enim, etsi ipsa recognosceret nullum esse
 matrimonium a perpetuo et antecederet impoten-
 tibus contractum, consuevit tamen judicare illud
 non esse solvendum, sed debere partes simul per-
 manere, et si non poterant tamquam vir et uxor,
 essent simul tamquam frater et soror. Id probatur
 ex Decretali Alexandri III relata in *cap. 2 h. t. in prima collectione*, et ex Decretali Clementis III
cap. 4 h. t. in eadem prima collectione, ex *can. 2
 caus. 33 quaest. 1 in Decreto falso tributo Gre-
 gorio Magno*, cum potius sit ex Capitularibus
 Francorum, et demum ex *cap. 4 h. t. per verba*:
 « Licet incredibile videatur, quod aliquis cum ta-
 libus contrahat matrimonium, Romana tamen Ec-
 clesia consuevit in consimilibus judicare, ut quas
 tamquam uxores habere non possunt, habeant ut
 sorores. » Rationes talis praxis videntur fuisse se-
 quentes, nempe primo quia Ecclesia reformidabat

per dissolutionem talis connubii dare ansam falsae opinioni, quod Ecclesia temere connubia dissolveret; et deinde ex eo quod tales causae essent maximae difficultatis, ita ut facile posset error facti intervenire. Et quia iudicium erat tantum declarativum, debebant connubia ita dissoluta instaurari, si error facti intercessisset in eo iudicio, quod non sine magno scandalo fiebat. È contra illa praxis contra se habebat gravissimas rationes: si enim non solvebantur, vel potius non declarabantur invalida ea conjugia, in quibus interveniret impedimentum impotentiae, pars potens damnabatur *ad coactum coelibatum*, ex quo timendae erant dissensiones et scandala; et ex altera parte non verificabatur in praxi quod viverent ut frater et soror, sed potius indulgerent libidini, quae causa deinde fuit, ut illa connubia eunuchorum damnarentur, ut vidimus factum a Sixto V; quia praxis non correspondebat factis promissis. Et propter gravitatem istarum rationum evenit ut ex capite impotentiae inciperent processus matrimoniales, et sententia a iudice daretur. Certum est enim conjugem potentem propria auctoritate non potuisse recedere, quamvis certus esset de alterius impotentia, et multo minus aliud matrimonium contrahere, sed tantum ex iudicis ecclesiastici auctoritate et definitiva sententia *arg. cap. 3 de divort.* et iudex non poterat eam ferre sententiam quin prius haberet plenam probationem. Modus autem procedendi sequens erat. Si aliter de corporis defectu

constare non poterat, erat adhibenda corporum inspectio, et quoad virum per medicos et chirurgos, quoad foeminas vero per obstetrices et honestas matronas *ex cap. 4, 6 et ult. h. t.*, qui quaeque esse debebant a iudice electae, atque suum iudicium debebant juramento firmare. Porro si ex istarum personarum iudicio habebantur signa impotentiae omnino certa ex evidentia *physica*, tunc matrimonium sine mora, aliave solemnitate declarabatur invalidum; erat enim plene probata impotentia. Si autem impotentiae signa non erant *physice* certa, sed tantum *moraliter*, tunc accedebat juramentum conjugum et septem aliorum de consanguinitate aut vicinia eorum; et dicti conjuges jurabant se coire non posse, consanguinei autem vel vicini jurabant se credere, quod conjuges jurassent secundum veritatem. At si signa fuissent impotentiae dubia, tunc concedebatur triennium ad experiendum, an per veram copulam carnalem valerent matrimonium consummare; idque primo lege imperiali constitutum est, deinde Ecclesiae canone fuit receptum, prout habetur *ex cap. 5 et ult. h. t.* Facto autem hoc triennali experimento si signa impotentiae certa vel ad minimum verosimilia non apparuissent, tunc ad assertiones conjugum habebatur recursus, et siquidem fuissent concordēs pro non secuta matrimonii consummatione, tunc recepto istius affirmationis juramento, nec non habito jurato testimonio septimae manus consanguinitatis aut viciniae matrimonium decla-

rabatur nullum et irritum. At si discordes fuissent, tunc affirmante muliere matrimonium esse consummatum contra virum negantem, sententia dabatur pro matrimonii validitate; sicut affirmante viro, et denegante muliere pariter pro validitate tenebatur sententia, nisi matronarum testimonio et certa fide constitisset mulierem esse adhuc virginem, quo casu pronuntiabatur pro invaliditate matrimonii.

5.° Haec autem sententia erat declarativa; unde si fuisset locus errori facti, ita ut quae pars fuisset declarata impotens, deinde potens apparuisset, matrimonium dissolutum, generaliter loquendo, restaurari debebat, et conjux reddi priori marito, etsi haec cum secundo novas nuptias jam contraxisset ex *cap. 6 h. t.* et jam decennium elapsus esset ab editione prioris sententiae, nec interim fuisset appellatum. Dixi *generaliter loquendo*; nam ab Auctoribus praeunte jure citantur quinque casus teste Schmalzgrueber *h. t. num. 99 et 100*, in quibus matrimonium ob impotentiam dissolutum non restaurabatur, etsi postea is ob cuius impotentiam dissolutio facta est, repertus fuerit potens. Ad quae incommoda praecavenda ex *cit. cap. 6 h. t.* iudex post editam dissolutionis sententiam tenebatur exhortari conjugem, ob cuius impotentiam dissolutum erat matrimonium illumque inducere ad ingrediendam religionem, ejusque edendam solemnem professionem, quia tunc matrimonii vinculum, si forte esset, eo

ipso dissolvebatur, et sic nullum periculum immineret alteri conjugi, si aliud matrimonium iniret.

6.° Mitto nunc loqui de additionibus factis huic modo procedendi in causis matrimonialibus ex celebri constitutione Benedicti XIV *Dei miseratione diei 29 Novembris 1741* de qua loquemur cum in *libro de Judiciis* sermo erit de Processu matrimoniali. Adnoto tamen hodie causas matrimoniales apud S. Congregationem Concilii alio modo practice geri. Dum enim si sint causae simpliciter pro declaranda impotentia, pertractantur in prima instantia apud tribunal Episcopi, et sunt sententiae mere declarativae, apud S. Congregationem proponuntur sub duplici dubio - 1. an constet de impotentia antecedente et perpetua in casu? Et quatenus negative - 2. an sit consulendum SSmo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato? atque tunc si constat de impotentia perpetua et antecedente datur ad primum affirmativa responsio, atque declaratur matrimonium fuisse invalidum, prout expositum est. Quod si non constet de extremis hujus impotentiae, quod difficillimum est, tunc data responsione *ad primum* quod *providebitur* in secundo, fit gradus ad alterum dubium. Ad cuius intellectum sciendum est hodie apud juristas et theologos absque difficultate admitti et recognosci in Romanis Pontificibus auctoritatem dissolvendi matrimonium simpliciter ratum. Anteaetis temporibus hanc potestatem Romani Pontifices factis

non asseruerunt excepto forte tantum casu dissolutionis matrimonii rati non consummati per professionem solemnem religiosam, qui casus, ut vidimus, est ex jure ecclesiastico non de jure divino, cum solemnitas sit ex concessione Ecclesiae. Et ex hac raritate casuum Canonistae nonnulli concluderunt Romanos Pontifices non habere facultatem dispensandi et dissolvendi matrimonium ratum. Sed progressu temporis ista facta non defuerunt, prout de Martino V, Eugenio IV, Paulo III, Pio IV indubiis documentis traditur, atque de Gregorio XIII refert Sanchez *lib. 2 disput. 4 de matrimon.* ipsum uno die quatuordecim matrimonia rata dispensando dissolvisse quoad vinculum. Postquam aetatem non defuerunt quolibet aevo exempla, ex quibus explicatur quomodo praesens praxis inducta videatur proponendi apud laudatam S. Congregationem alterum recensitum dubium. In hoc autem dubio exponendo ac resolvendo duo praestanda sunt nempe primo quod certo constet factum de non secuta consummatione matrimonii praemisso regulari processu ad formam Constitutionis Benedictinae. In quo facto expendendo non attenditur in casu *ad extrema* impotentiae, nempe quod fuerit antecedens vel perpetua, ut debeant concludenter probari. Postquam probationem non consummationis, secundo inducuntur nonnulla extrinseca argumenta, quae reddant improbabilem et arduam individuae vitae consuetudinis instaurationem inter conjuges, quaeque so-

lutioni faveant, ut animorum alienatio, odium, dissidia etc. Quibus omnibus expensis, siquidem subsistant, S. Congregatio proponit preces Summo Pontifici, ut dignetur dispensare super matrimonio rato et non consummato. Et data dispensatione iudicium completum est, etsi in eo juxta explicanda debeat sequi methodus a Benedicto XIV proposita. Quod inquam iudicium in pluribus differt a consueto iudicio quod ex impotentia communiter fit. Dum enim illud est simpliciter declarativum, hoc est decisivum aut decretivum, scilicet in illo declaratur matrimonium esse irritum quia initum est a parte perpetuo et antecedenter impotente; dum in hoc Pontifex dispensat vel dirimit matrimonium ratum. Hinc secundo est, quod hoc ultimum iudicium seu decisio non potest reddi nisi a Supremis Congregationibus Romanis, quarum officium est Consiliariorum Romani Pontificis, qui solus potest matrimonium ratum et non consummatum dissolvere; cum primum iudicium super impotentia possit agi in quibuscumque Curii Ordinariis caeteroquin competentibus. Hinc tertio sequitur hoc alterum iudicium, quoties matrimonium fuit simpliciter ratum, esse absolutum nec reformationi subjacere, fuit siquidem a Romano Pontifice dissolutum matrimonium; dum primum iudicium mere declarativum possit variationibus subesse, si facta veritati non nitantur circa *extrema* impotentiae. Ad quae clarius intelligenda notandum ultimo est, quod etsi plerum-

que fiat, ut petatur a Summo Pontifice dispensatio super matrimonio rato et non consummato ex causa impotentiae, de cujus *extremis* non constet; non est tamen hic solus casus, nam aliquando petitur a Romano Pontifice dispensatio simpliciter a matrimonio rato et non consummato etsi prius coram iudicibus ordinariis disputatum sit de invaliditate matrimonii ob aliam causam, et lis perdata, et ne veteres casus citentur adducimus Causam Compostellanam « *Dispensationis matrimonii* » actam apud S. Congregationem Concilii die 14 Decembr. 1878, in qua obtenta fuit consultatio apud Sanctissimum et concessa dispensatio matrimonii rati non consummati etsi non fuerit allegata causa impotentiae, sed longe alia.

TITULUS XVI.

*De matrimonio contracto
contra interdictum Ecclesiae.*

1.º Interdictum Ecclesiae generaliter assumptum comprehendit omnia impedimenta impediencia. Haec porro antiquitus numerabantur sex sequentibus in versibus comprehensa:

Ecclesiae vetitum, nec non tempus feriatum
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Glossa autem in *cap. 2 de poenitent. et remission. peccator.* enumerat crimina, nempe:

Incestus, raptus sponsatae, mors mulieris
Susceptus propriae sobolis, mors presbyteralis
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Suscipiat, prohibent haec conjugium sociandum.

Cum vero hodie fuerit sublatum impedimentum ex catechismo a Concilio Tridentino *sess. 24 de reform. matrim. cap. 2*, et ex desuetudine pariter disparuerit impedimentum criminis, quatenus impediens erat; hinc quatuor tantum remanserunt. De his impedimentis impediens a nobis partim tractatum est in titulis antecedentibus, puta in tit. I de impedimento impediens orto ex sponsalibus, ac de interdictis nuptiis catholicorum cum haereticis, quod est ecclesiae vetitum; et in tit. VI de impedimento impediens voti. Nunc proinde tantum loquendum est de impedimento temporis feriati, et de interdicto Ecclesiae singillatim sumpto.

2.º Tempus feriati illud dicitur per decursum anni, quo Ecclesia a solemnitatibus nuptiarum abstinendum esse vetat, nempe ab Adventu Domini usque ad diem Epiphaniae et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, prout habetur in *cap. 10 sess. 24 de reform. matrim.* in Concilio Tridentino. Consulto dicitur eo tempore esse abstinendum a *solemnitatibus nuptiarum*, quia nec prohibentur nuptiae neque praestatio operis maritalis nec multo minus sponsalia vel denunciations, et hoc modo lex est in vigore.

3.º Nunc aliqua de interdicto Ecclesiae singillatim sunt notanda. Interdictum usque nunc consideratum illud est quod datur *a jure*. Sed esse potest etiam ab homine, et tunc definitur:

« prohibitio, qua superior ecclesiasticus vetat ex justa causa, ne inter aliquas personas matrimonium fiat, usque dum illa causa vel ratio cesset. » Nomine autem superioris ecclesiastici venit non modo Pontifex pro universa Ecclesia, et Episcopus pro sua dioecesi aliusque iudex ecclesiasticus, sed et Parochus, qui etsi de causis matrimonialibus et caeteroquin de reliquis causis judicialiter non videat, nihilominus interdictum ponere potest, ut tamquam Pastor peccatum impediatur. Causae esse possunt vel sponsalia cum alia inita, vel suspicio latentis impedimenti, vel timor turbarum, ignoratio elementorum fidei, vel alia hujusmodi. Multum autem interest, quod hoc interdictum a diversis istis superioribus feratur. Si enim a Parocho fertur, hic censuris ecclesiasticis communicare hoc vetitum nequit, cum veram jurisdictionem in foro externo non habeat, sed tantum imponere illud poterit *sub gravi culpa*, quia materia est gravis, et ab ipso posse hoc interdictum imponi communis est Doctorum sententia ex *cap. fin. § fin. h. t.* At si proveniat hoc vetitum a iudice ecclesiastico non solum ejus obligatio sub gravi valet imponi, sed potest communiri etiam sanctione censurarum, ut praecipitur ex *cap. 2 h. t.* Imo hoc interdictum potest dirigi etiam Parocho, ut tali matrimonio prohibeatur assistere, et inobediens Parochus puniri potest, quemadmodum et testes puniri valent, si post ve-

titum adsistant, prout et invocatis juris principiis facile concludi potest, et ex pluribus decisionibus S. Congregationis Concilii, praesertim ex *Florentina diei 10 Februar. 1629 lib. 19 Decretor. pag. 35.* Hoc tamen interdictum ab Episcopo directum contra Parochum ne adsistat non efficit ut illud matrimonium coram illo celebratum, validum non sit; nam etsi parochus adsistentiam praestando peccet contra rationabile Episcopi vetitum matrimonium tamen sic celebratum valet, si modo ille manet adhuc Parochus, ut liquet ex Responsis S. Congregationis Concilii datis *anno 1581 ad dubia proposita ab Episcopo Giennensi lib. 3 Decret. pag. 59 et seqq.* - Non potest ergo in casu dubitari quod generice loquendo matrimonium actum sub interdicto sit illicitum sed validum, neque enim alii Superiores Ecclesiastici Pontifice inferiores possunt illud interdictum communicare *clausula irritante*. Hoc valet efficere solus Romanus Pontifex, licet censendum non sit quodcumque interdictum Pontificium reddere matrimonium invalidum. Ut enim optime loquitur in hac re Reiffenstuel *h. t. num. 9 et 10*, etiamsi Papa specialiter ex quacumque tandem causa interdicat, seu prohibeat matrimonium, valide nihilominus contrahitur, nisi sub Decreto irritante illud prohibeat, quia simplex prohibitio non irritat actum de natura et jure validum. At si constet Pontificem addidisse clausulam irritantem

(quod non est praesumendum, sed probandum) tunc matrimonium interdictum erit quoque invalidum; quia sicut Papa generali constitutione respectu omnium, ita etiam speciali decreto respectu aliquorum potest constituere impedimentum dirimens seu annullans matrimonium contrahendum.

TITULUS XVII.

Qui filii sint legitimi.

1.° Legitimorum vox aut contraponitur naturalibus, et tunc nomine filiorum legitimorum veniunt *adoptivi*, de quibus locuti sumus *tit. XII*, aut contraponitur illegitimis, et tunc legitimus filius ille est, qui procreatus est ex justis nuptiis, quarum usum Ecclesia solemniter non interdixit. Addimus haec ultima verba, ut ex numero legitimorum eos excludamus, qui post ordinem majorem susceptum, aut post editam validam professionem religiosam solemnem progeniti sunt ex matrimonio antecederet valide contracto. Nomine autem justarum nuptiarum veniunt tum matrimonia in veritate valida, tum quae *putative* talia habentur, nempe in quibus ad valorem retinendum concurrunt tum probabilis communitatis credulitas, tum utriusque

aut saltem alterutrius parentis bona fides. Quae communitatis credulitas habetur probabilis et bona parentum fides attenditur, cum ex *cap. 3 de clandest. despons.* fuerunt denuntiationes aut banna praemissa, vel ab auctoritate ecclesiastica dispensata. Haec autem duo, nempe, publica probabilis credulitas et bona fides saltem unius conjugis debent in facto copulari, quia id exigitur a citatis canonibus, et a communi Doctorum sententia. Unde si matrimonium mala fide utriusque conjugis fuisset contractum aut consummatum, proles ex eo genita esset illegitima, quamvis pro foro externo, ubi non constat de illorum mala fide habeatur pro legitima; et hinc talis proles quae semel habita fuit pro legitima, non tenetur credere *merae* assertioni parentum etiam juratae, quod sit illegitima. Consulto adhibuimus verbum *procreatus* vel *genitus*, quia ad favorem prolis aliquando attenditur ad nativitatem, aliquando ad conceptionem, nempe ut proles pro legitima habeatur. Hinc habetur pro legitima etsi proles jam sit concepta ante, dummodo tamen nata sit post matrimonium legitime contractum; prout qui filius est genitus in matrimonio putativo habetur legitimus, dummodo conceptus sit ante sententiam nullitatis, vel antequam deficeret probabilis communitatis credulitas cum bona fide alterutrius conjugis. Unde isti gaudent quibuscumque privilegiis legitimorum tum in civilibus, tum in ecclesiasticis. Unde est, quod quando ab Ecclesia ali-

quod matrimonium post regulare iudicium declaratur invalidum, puta quia contractum est cum impedimento metus, alteriusque consimilis, nullum est dispendium prolis ex tali connubio progentiae, quae legitimitatis jura conservat, prout ex Rescripto Causae: « *Nullius Monacensis* » diei 3 *Januarii* 1880, ubi Cardinales rescripserunt: - Ad 1. resolutionem datam die 16 *Maji* 1879 esse confirmandam, nempe constare de nullitate matrimonii in casu, firmo tamen in filio statu et jure legitimae filiationis. - Ad 2. ad mentem. Mens est ut per resolutionem ad 1. dubium nihil deductum sit juri et obligationi tam patris quam matris in iis quae respiciunt educationem filii habita ratione ad dispositiones juris publici et privati. Teneri parentes ad conveniendum intra tres menses a die praesentis resolutionis de loco, ubi filius collocandus et educandus est, et intra mensem a die initae conventionis ad eam exequendam.

2°. Qui extra nuptias vel vere vel putative justas sunt nati, habentur pro illegitimis. Istorum si pater non est certus, quia ex muliere quidem soluta sed se passim prostitute seu meretrice procreati sunt vocantur *spurii* seu *nothi*. Quod si a viro et foemina sunt procreati, inter quos matrimonium tempore conceptionis vel nativitatis aut saltem intermedio tempore consistere poterat, tunc dicuntur filii *naturales*. Si demum parentum matrimonio per omne illud tempus obstitisset quocumque impedimentum dirimens vel natu-

rale vel juris positivi divini aut ecclesiastici, tunc tales dicuntur ex damnato coitu procreati.

3°. Quod pertinet ad eorum legitimationem ea recolantur quae dicta sunt *tit. XVII lib. 1.* Nunc tantum haec addimus: - (a) per subsequens matrimonium non posse legitimari nisi filios naturales non vero eos qui sunt ex incerto patre, aut qui ex damnato coitu progeniti sunt, - (b) sed Rescripto supremi Principis posse quoscumque illegitimos legitimari, ita ut Pontifex id valeat praestare pro societate ecclesiastica, moderatores vero supremi rerum publicarum in societate civili, prout expresse declaratur in *cap. 13 h. t.* - (c) Sed numquid Pontifex nunquam poterit legitimare quoad consecutionem jurium civilium, quae ad legitimos pertinent? Cui quaestioni respondemus, quod praecisione facta a casu, quo Romanus Pontifex habeat civilem principatum, cum tum id valeat, quod supremo cuique civili Principi competit, nequit ipse legitimare in civilibus nisi *indirecte*, id est *sanando in radice* matrimonium, quod obstante ecclesiastica lege initum erat invalide; tunc enim sanato conjugio sanantur quicumque ejus effectus, unde filii qui ex illo conjugio nati sunt, quique ante sanationem in radice erant illegitimi, post eam sanationem habentur legitimi et non modo in ecclesiasticis sed quoque in civilibus, nam ex justo matrimonio nati sunt. Quae sanatio matrimonii in radice potest concedi viventibus adhuc conjugibus, aut

iis demortuis ad unicum effectum legitimisationis prolis, et etiam in hoc casu effectum operatur quoque in civilibus, quia istius sanationis semper idem est conceptus. Hac ratione explicantur plura Rescripta, quae a S. Poenitentiaria data sunt sanationis in radice matrimoniorum post mortem eorundem conjugum impetrata a filiis ad unicum effectum legitimisationis. Non confundenda vero sunt haec Rescripta sanationis in radice cum illa clausula, quae apponitur dispensationibus matrimonialibus, scilicet cum decreto legitimisationis prolis ante dispensationem susceptae; quia illud decretum non est aliud nisi Rescriptum Supremi Principis ecclesiastici nempe Papae de legitimisatione danda filiis, qui nati sunt ex personis inter quas verum matrimonium esse non poterat obstante lege ecclesiastica, et qui utpote nati ex damnato coitu nequibant per subsequens matrimonium legitimari; quibus proinde providetur per adnexum decretum, quod exequendum committitur eidem executori dispensationis pontificiae: unde iste praeter executionem dispensationis, et hoc decretum exequi tenetur, quod si praetermittat, illi filii remanent illegitimi. Porro legitimati per hoc decretum vel Rescriptum legitimorum jura consequuntur in ecclesiasticis, non autem in civilibus, quia ipsi *directe* legitimantur.

4.º Istius tituli quotidiana erat antiquitus allegatio, quia legitimatis judex erat Ecclesia, quae unice videbat de validitate matrimonii, et filii

legitimi nascebantur ex justis nuptiis. Quod pariter ex eo eveniebat, quia legitimorum jura quam plurima erant in societate civili prae illegitimis. Verum hodie res omnino immutata est quoad societates civiles. Imprimis enim haec jura legitimorum in iisdem societatibus valde imminuta sunt, si forte excipias successiones intestatas. Deinde Potestas civilis sicut se recognoscit solummodo competentem ad leges ferendas pro matrimoniis, exclusa omnino Ecclesiae auctoritate, sic pariter ipsa exclusive judicare praetendit de matrimoniorum validitate et de legitimitate filiorum. Unde venit quod in civilibus plures habeantur filii legitimi qui secundum canonicas sanctiones tales non sunt; et viceversa plures habeantur pro illegitimis, qui juxta Ecclesiae legislationem sunt nati ex justis nuptiis. Ex hoc advenit quod Ecclesia de legitimitate prolis judicat secundum suas leges, eique insistit quoad jura societatis ecclesiasticae, neque suo muneri deficit, si potestas civilis ejus judicia parvi pendens in hac re sicut in pluribus aliis diversum imo oppositum iter instituit.

TITULUS XVIII.

*Qui matrimonium accusare possint,
vel contra illud testificari.*

1.° In hoc titulo fiunt sequentes tres quaestiones, nempe: - I. Quis sit iudex in causis matrimonialibus. - II. Qui accusare valeant matrimonium, vel contra illud testificari. - III. Quomodo sit procedendum in iisdem causis.

2.° Causae vero matrimoniales esse possunt multiplices, nam: - I. esse potest quaestio de valore matrimonii aut sponsalium, de juribus sponsorum aut conjugum, de legitimitate prolis, aliisque similibus respicientibus vinculum; - II. de divortiis quoad separationem thori et cohabitationis; - III. de dote, donatione propter nuptias, de haereditaria successione, alimentis aliisque similibus; - IV. de criminibus quae locum habere possunt in matrimoniis, puta adulterio, uxoricidio, incestu etc. -

Porro tenendum est causas vere matrimoniales esse eas, quae continentur sub *num. I et II*, quia in iis quaestio est de vinculo et juribus, et de istis causis dicitur a Concilio Tridentino *sess. XXIV can. XII* quod spectent ad iudices ecclesiasticos. Idque valet non solum si *principaliter agantur* praesertim primae, sed etiam *si incidant*. In hoc enim ultimo casu iudex laicus debet supersedere usque dum quaestio incidentalis fuerit resoluta a iudice competente, ut notabitur *Libro II* et patet ex communi Doctorum sententia ex statuta incapacitate laicorum quoad causas spirituales. Statuit vero Concilium Tridentinum *sess. XXIV cap. XX de reformatione* quod hae causae non Decani, Archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquuntur, ita ut nec Legatus Apostolicus efficere possit quod ipsi priventur potestate eas videndi in prima instantia. Qua sanctione non tollitur potestas Episcopis alios sua vice delegandi ad videndas has causas puta Vicarium Generalem aliasque ecclesiasticas personas, quae ab Episcopo ad id muneris deputentur, cum in casu ejus nomine et vice agant. Nam Concilium Tridentinum id tantummodo voluit vitare, ut quis praeter Episcopum id propria auctoritate praesumeret. Causae tertiae speciei si principaliter agantur pertinent exclusive ad iudices laicos, prout cum communi Doctorum sententia notat Pirhing *h. t. num. 17*. Ratio est, quia non sunt vere causae

matrimoniales, sed potius causae civiles actae occasione matrimonii. At vero si incidant istae causae in causa matrimoniali proprie dicta, quae principaliter agatur, tunc iudex ecclesiasticus hujusmodi causas quoque cognoscere potest, et super his pronuntiare, prout sentiunt omnes Doctores apud Reiffenstuel *h. t. num.* 25 cum iudex ecclesiasticus non sit incapax cognoscendi causas temporales, sed potius capax esse potest ex consuetudine, ex continentia causae, aliisque ex rationibus. Causae demum quae pertinent ad quartam speciem dicuntur *mixti fori* cum talia crimina laedant tam civilis reipublicae statum, quam societatem ecclesiasticam. Hodie vix casus est quo in iis interveniat auctoritas ecclesiastica, cum sanctio civilis sit efficacior.

3.º Sequitur quaestio: qui valeant accusare matrimonium? Et in hac quaestione fit a Doctoribus prima distinctio, an scilicet agatur de matrimonio contrahendo, vel jam contracto. Et siquidem de accusando matrimonio contrahendo ad accusandum vel potius denuntiandum impedimentum omnes de populo admittuntur, imo si probare valeant, omnes qui talis impedimenti notitiam habent sub gravi tenentur, prout dictum est *Tit. III* in exponendo legem publicationum matrimonio praemittendarum. Si vero sermo sit de matrimonio jam contracto dissociando alia est adhibenda distinctio. Vel enim accusatio est ad obtinendum divortium minus plenum seu quoad thorum et

cohabitationem, vel ad obtinendum divortium plenum, nempe nullitatem contracti connubii. Si enim primum contingat, tunc admittitur solum conjux, qui putat se habere rationem ad dissociandam individuum vitae consuetudinem, ut ex communi ostenditur Doctorum sententia pluribus allatis juris textibus, et ex apposita ratione, quod unusquisque juri suo renuntiare valet, aut ei, quod in sui favorem introductum est; alii proinde cum interesse in talibus causis non habeant, ad accusandum non admittuntur. Verum si agatur de petenda nullitate matrimonii, tunc videndum est, quale sit impedimentum, ob quod petatur nullitatis matrimonii declaratio. Et siquidem sit impotentia, tunc ad accusandum admittitur solus conjux potens, quia ejus est vel persequi accusationem, aut ei renuntiare consentiendo cum impotente cohabitare ut frater et soror. Quod idem dicendum est, si impedimentum sit *error*, vel *metus*, aut *vis*, cum pars laesa possit supplere consensum, aut matrimonium convalidare eundem consensum supplendo vel reiterando. Si autem sit impedimentum consanguinitas aut affinitas aut publica honestas admittuntur ad accusandum consanguinei inter quos primum gradum retinent parentes vel vicini, qui melius quam alii impedimentum cognoscere valent, ex *canonibus 2 et 3 caus. 35 quaest. 6* et Doctores communiter. Super aliis impedimentis admittuntur praeter conjuges et propinquos alii, dummodo non sint suspectae fidei, praesertim si

eorum interest. Dixi eos debere esse non suspectos, cum repellantur qui turpis quaestus causa id faciant ex *cap. 5 h. t.* vel qui denuntiare matrimonium detrectaverint, nisi possint se excusare, scilicet id rationabiliter non fecisse ex *cap. fin. h. t.* In hac pariter quaestione dubitatur: an accusatio matrimonii sit talis, ut semper et quando-cumque permittatur? Cui interrogationi respondetur, quod semper potest haec causa proponi, quia in matrimoniis sententia numquam transit in rem judicatam ex *cap. 7 de sent. et re judic.* Hoc tamen probe est intelligendum; nam hoc verum est quamdiu causa accusandi durat, nempe usque dum matrimonium viget. At si matrimonium morte fuerit dissolutum, tunc remota causa peccandi, actio vel accusatio non est perpetua, sed perimitur sicut aliae actiones post tempus triginta annorum.

4.° Testes in accusatione matrimonii illi admittuntur, qui praeter scientiam non sunt suspectae fidei ex *cap. 47 de test. et attest.* Hinc etiam pater admittitur, et consanguinei et affines in primis gradibus ex *cap. 3 h. t.* dummodo sint praesentes ex *cap. 2 h. t.* Hoc autem in hisce causis ideo a jure constitutum est, quia non tam attenditur ad interesse singulorum, quam ad vitandum peccatum; proinde testibus non obstat nec consanguinitas nec affinitas, quemadmodum caeteris personis nihil obstat, dummodo praedicta requisita praebeant.

5.° Quod autem spectat ad modum quo hae causae debent pertractari praesertim de Benedictina Constitutione loquemur in Processu Matrimoniali Libro Secundo, ut in antecessum notatum est.

TITULUS XIX.

De divortiis.

1.° Inter proprietates, quas habuit nostrorum protoparentum matrimonium universorum typus et exemplar, quae ab humano genere erant socianda, computatur monogamia et indissolubilitas, et cum de prima actum sit in *Tit. IV* hic loquemur de indissolubilitate. Doctores catholici cum de hac re conveniant, non satis sunt unanimes, imo discordes in eo sunt, quo scilicet jure has qualitates ipsum habuerit, jure ne naturali, aut potius jure positivo divino. Nobis qui jam eo *Tit. IV* exposuimus quid tenendum sit de monogamia, magis arridet ea sententia, quae tenet et indissolubilitatem non posse repeti nisi ex jure positivo-divino. Quamvis enim confiteamur matrimonium jure naturae esse societatem permanentem attendendo ad

fines matrimonii ejusdem, tamen asserimus hanc veram indissolubilitatem non satis et concludenter probari inspecto tantum jure naturae, licet convenientia suadeatur. Quae nostra sententia plenius confirmatur ex dicendis de dispensatione huic legi indissolubilitatis concessa in lege Moysi, aliisque in processu explicandis. Certum tamen est hanc qualitatem protoparentum matrimonio competiisse ex jure divino positivo. Cum enim a Paulo sciamus verba ab Adamo prolata dicta esse inspirante Spiritu Sancto, et ex iis verbis: « Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » concludatur matrimonium consummatum esse indissolubile, ut exposuit Innocentius III in *cap. 5 de bigam. non ordin.* recte eam esse qualitatem arguimus illi matrimonio adscribendam. Cumque, ut supra dictum est, illud matrimonium fuerit typus et exemplar omnium matrimoniorum, quae a filiis Adae erant quaecumque socianda, hinc indissolubilitatem dicimus esse inductam pro quocumque humano connubio ex jure divino positivo primigenio.

2.° Haec autem lex progressu temporis passa est dispensationem; cum populo hebraeo permisum sit dare libellum repudii, et sic matrimonia dissociare in casibus a lege mosaica contemplatis. Etsi enim, prout Christus ajebat, hoc permisum fuerit hebraeis *propter duritiam cordis*, non est

tamen minus verum, quod hoc eis fuerit ex dispensatione divina concessum. Neque videtur illa sententia praeferenda, quae tenet hebraeis non fuisse indultum sed tantum non imputatum ad poenam, quod darent libellum repudii, cum id divinae legi potius videatur injuriosum. Quod autem hebraeis directe permissum est, id caeteris populis indultum esse ad minus indirecte tenent doctores, attenta etiam duritia cordis eorum, quae communis ratio istius indulgentiae retenta est. At adveniens humani generis Reparator Christus huic indulto factus est finis. Cum enim interpellatus fuerit a judaeis, an liceret homini dimittere uxorem suam *quacumque ex causa*, non modo eorum interpretationem reprehendit tamquam nimis latam, sed matrimonium revocavit ad pristinam indissolubilitatis dignitatem subjungens « quod Deus conjunxit, homo non separet » prout apertissime insinuat Concilium Tridentinum *sess. XXIV de Doctrina Matrimonii*.

3.º Haec tamen instauratio non fuit pacifice et incunctanter ab hominibus recepta, sed potius Ecclesia Dei jugiter pugnare debuit pro ejus executione. Principio enim pugnatum est contra leges imperii romani, quae in aliquibus casibus etiam post christianae legis receptionem divortium permittebant. Et contra has leges pugnavit Ecclesia sive ex parte Romanorum Pontificum, sive ex parte principaliorum Doctorum, ut Ambrosius fuit, Hieronymus aliique, usquedum cum suis legibus

idem imperium dispareret. Devictis hisce adversariis Ecclesiae lex de indissolubilitate conjugiorum mansit; verum non defuere singularia certamina contra nonnullos praepotentes principes, qui divortium contra fas pro sua voluntate et utilitate inducere voluerunt. At suo muneri Ecclesia non defuit, cum eis intimavit retinendam esse indissolubilitatem matrimonii, sicut pro quolibet alio christifideli et sic in honore talis lex fuit usque ad saeculum decimum sextum et in viridi observantia. Eo autem tempore luctuosum aevum pro Ecclesia incoepit, cum ex parte novatorum, et praecipue Lutheri Ecclesiae indictum fuerit implacabile bellum etiam quoad hunc articulum de matrimonii indissolubilitate. Neque contra hos novatores aliquid valuere veteres Ecclesiae canones, nec nova Concilii Tridentini decreta, sed iterum apud protestantes inducta est divortii licentia; unde ex eo tempore haec praeter caeteras alia fuit inter pseudoreformatos et catholicos populos differentia, ut cum isti servarent indissolubilitatis matrimonii legem, illi admitterent licentiam divortii. Reservatum erat hoc dedecus saeculo decimo octavo, ut nationibus catholicis haec constitueretur licentia dicta lex divortii, et quidem in ea latitudine, prout locum habuit in novissimo aevo corruptionis romanae demorientis reipublicae, quod factum est in Galliis tempore revolutionis *die 20 Septembris 1792*. Compositis vero rebus civilibus haec infausta lex, quae tot gravissima attulerat damna, fuit revocata an-

no 1816. Novissimis autem hisce diebus ecce novi insurgunt conatus pro illa instauranda, et in Comitibus Gallicis ea proponitur rogante Deputato Naquet Judaeo, atque in Camera Italica rogante Deputato Morelli. Nec defuit Scriptorum auxilium, qui editis libris in favorem istius legis publicam ut ajunt opinionem commoverent, inter quos primas partes sibi vindicat Alexander Dumas *La question du divorce*, et jam parata sunt argumenta, quibus legislatores utriusque regionis inducantur ad illam legem recipiendam. - At nec pro causa veritatis et catholicae fidei apologistae defuerunt, et qua editis in confutationem praedictorum voluminum aliis satis doctis libris maxime accomodatis nostri aevi indoli, ut *Paul Féval Pas de divorce Réponse a M. Alexandre Dumas*, qua vulgatis in publicis periodicis foliis aequae doctis articulis illorum sophismata diluerunt, et indissolubilitatis matrimonii utilitatem imo et necessitatem socialem demonstraverunt. Indicanda tamen est methodus a defensoribus divortii servata. Ea duplex est; nam alii divortium ostendunt veluti optimam legem respondentem hominis juribus, et quemadmodum pro istis proprietates est *furtum*, sic indissolubilitas matrimonii est *injustitia*. Haec tamen pugnandi ratio, utpote quae *internationalismi* putidum errorem a longe sapiat, a plerisque despicitur, cum tunc non solum impugnetur indissolubilitas connubiorum, sed ipsa ratio matrimonii, et via pateat ad execratum systema *liberi amoris*. Moderatiores au-

tem inter oppugnatores aliam methodum sectantur. Ajunt siquidem divortium esse malum, sed spectatis conditionibus societatis ab *ea exigi* utpote quod majora mala praecaveat, quae eo non admissa societatem vexarent; unde non verentur asserere divortii legem esse satis congruam ad fovendam populorum moralitatem, et satis respondere eorum sociali tranquillitati. Contra quos catholici publicistae ostenderunt *veniam legalem divortii* esse destructivam vinculi familiae, proinde vere oppositam ordini societatis, eam moralitati populorum omnino esse noxiam, et fovere potius crimina, atque proinde non minus esse oppositam dictamini christianae religionis, quam bono societatis civilis regimini.

4.º Dum haec apud Auctores agerentur sive ad ingerendos populo errores, sive ad revelandas iniquorum fraudes, atque legum latores in publicis Aulis secum certarent pro divortii lege vel recipienda vel reprobanda non defuit Supremi Christianorum Sacrorum Antistitis Romani Pontificis Leonis XIII infallibile Oraculum. Ipse enim Encyclicâ Epistolâ ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos universos gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentes data *die 10 Februarii 1880* apprime exposuit quid de matrimonii foedere juxta catholicam doctrinam esset tenendum, et quomodo haec doctrina divortium aliosque errores damnans populorum civili regimini esset salutaris. Pro summo honore habemus

praeclari istius documenti textum in nostro hoc volumine inserere alios Commentatores imitati, qui Bullas Romanorum Pontificum tempore confecti commentarii editas reproduxerunt. Textus est sequens: - « Arcanum divinae sapientiae con- » silium, quod Salvator hominum Jesus Christus » in terris erat perfecturus, eo spectavit, ut mun- » dum, quasi vetustate senescentem, Ipse per se » et in se divinitus instauraret. Quod splendida » et grandi sententia complexus est Paullus Apo- » stolus, cum ad Ephesios ita scriberet: *Sacra- » mentum voluntatis suae..... instaurare omnia in » Christo, quae in caelis et quae in terra sunt.* - » Revera cum Christus Dominus mandatum facere » instituit quod dederat illi Pater, continuo novam » quamdam formam ac speciem rebus omnibus » impertiit, vetustate depulsa. Quae enim vulnera » piaculum primi parentis humanae naturae im- » posuerat, Ipse sanavit: homines universos, na- » tura filios irae, in gratiam cum Deo restituit; » diuturnis fatigatos erroribus ad veritatis lumen » traduxit; omni impuritate confectos ad omnem » virtutem innovavit; redonatisque hereditati bea- » titudinis sempiternae spem certam fecit, ipsum » eorum corpus, mortale et caducum, immortalita- » tatis et gloriae caelestis particeps aliquando fu- » turum. Quo vero tam singularia beneficia, quam- » diu essent homines, tamdiu in terris permanerent, Ecclesiam constituit vicariam muneris » sui, eamque jussit, in futurum prospiciens, si

» quid esset in hominum societate perturbatum, » ordinare; si quid collapsum, restituere. - Quam- » quam vero divina haec instauratio, quam di- » ximus, praecipue et directo homines attigit in » ordine gratiae supernaturali constitutos, tamen » pretiosi ac salutes ejusdem fructus in ordinem » quoque naturalem largiter permanarunt; qua- » mobrem non mediocrem perfectionem in omnes » partes acceperunt cum singuli homines, tum hu- » mani generis societas universa. Etenim, chri- » stiano rerum ordine semel condito, hominibus » singulis feliciter contigit, ut ediscerent atque ad- » suescerent in paterna Dei providentia conquie- » scere, et spem alere, quae non confundit, cae- » lestium auxiliorum; quibus ex rebus fortitudo, » moderatio, constantia, aequabilitas pacati animi, » plures denique praeclarae virtutes et egregia » facta consequuntur. - Societati vero domesticae » et civili mirum est quantum dignitatis, quantum » firmitudinis et honestatis accesserit. Aequior et » sanctior effecta principum auctoritas; propensior » et facilior populorum obtemperatio; arctior ci- » vium cónjunctio; tutiora jura domini. Omnino » rebus omnibus, quae in civitate habentur utiles, » religio christiana consuluit et providit; ita qui- » dem, ut, auctore S. Augustino, plus ipsa afferre » momenti ad bene beateque vivendum non po- » tuisse videatur, si esset parandis vel augendis » mortalis vitae commodis et utilitatibus unice » nata. - Verum de hoc genere toto non est Nobis

» propositum modo singula enumerare; volumus
 » autem de convictu domestico eloqui, cujus est
 » in *matrimonio* principium et fundamentum. -
 » Constat inter omnes, Venerabiles Fratres, quae
 » vera sit matrimonii origo. - Quamvis enim fidei
 » christianae vituperatores perpetuam hac de re
 » doctrinam Ecclesiae fugiant agnoscere, et me-
 » moriam omnium gentium, omnium saeculorum
 » delere jamdiu contendant, vim tamen lucemque
 » veritatis nec extinguere nec debilitare potuerunt.
 » Nota omnibus et nemini dubia commemoramus:
 » posteaquam sexto creationis die formavit Deus
 » hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem
 » ejus spiraculum vitae, sociam illi voluit adjun-
 » gere, quam de latere viri ipsius dormientis mi-
 » rabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providen-
 » tissimus Deus, ut illud par conjugum esset cun-
 » ctorum hominum naturale principium, ex quo
 » scilicet propagari humanum genus, et, numquam
 » intermissis procreationibus, conservari in omne
 » tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris con-
 » junctio, quo sapientissimis Dei consiliis respon-
 » deret aptius, vel ex eo tempore duas potissimum,
 » easque in primis nobiles, quasi alte impressas
 » et insculptas prae se tulit proprietates, nimirum
 » unitatem et perpetuitatem. - Idque declaratum
 » aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus
 » divina Jesu Christi auctoritate; qui Judaeis et
 » Apostolis testatus est, matrimonium ex ipsa in-
 » stitutione sui dumtaxat inter duos esse debere,

» scilicet virum inter et mulierem; ex duobus unam
 » veluti carnem fieri; et nuptiale vinculum sic esse
 » Dei voluntate intime vehementerque nexum, ut
 » a quopiam inter homines dissolvi, aut distrahi
 » nequeat. *Adhaerebit (homo) uxori suae, et erunt*
 » *duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed*
 » *una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non*
 » *separet.* - Verum haec conjugii forma, tam ex-
 » cellens atque praestans, sensim corrumpi et in-
 » terire apud ethnicos populos coepit; et penes
 » ipsum Hebraeorum genus quasi obnubilari atque
 » obscurari visa. - Nam apud hos de uxoribus
 » susceperat consuetudo communis, ut singulis
 » viris habere plus una liceret; post autem, cum
 » *ad duritiam cordis* eorum indulgenter permi-
 » sisset Moyses repudiorum potestatem, ad di-
 » vortium factus est aditus. - In societate vero
 » ethnicorum vix credibile videatur, quantam cor-
 » ruptelam et demutationem nuptiae contraxerint,
 » quippe quae objectae fluctibus essent errorum
 » uniuscujusque populi et cupiditatum turpissi-
 » marum. Cunctae plus minus gentes dediscere
 » notionem germanamque originem matrimonii vi-
 » sae sunt; eamque ob causam de conjugiiis pas-
 » sim ferebantur leges, quae esse e republica vi-
 » derentur, non quas natura postularet. Sollemnes
 » ritus, arbitrio legumlatorum inventi, efficiebant
 » ut honestum uxoris, aut turpe concubinae nomen
 » mulieres nanciscerentur; quin eo ventum erat,
 » ut auctoritate principum reipublicae caveretur,

» quibus esset permissum inire nuptias, et quibus
 » non esset, multum legibus contra aequitatem
 » contendentibus, multum pro injuria. Praeterea
 » polygamia, polyandria, divortium caussae fue-
 » runt, quamobrem nuptiale vinculum magnopere
 » relaxaretur. Summa quoque in mutuis conjugum
 » juribus et officiis perturbatio extitit, cum vir do-
 » minium uxoris acquireret, eamque suas sibi res
 » habere, nulla saepe justa caussa, juberet; sibi
 » vero ad effrenatam et indomitam libidinem prae-
 » cipiti impune liceret *excurre per lupanaria et*
 » *ancillas, quasi culpam dignitas faciat, non vo-*
 » *luntas*. Exsuperante viri licentia, nihil erat uxore
 » miserius, in tantam humilitatem dejecta, ut in-
 » strumentum pene haberetur ad explendam libi-
 » dinem, vel gignendam sobolem comparatum.
 » Nec pudor fuit, collocandas in matrimonium emi
 » vendi, in rerum corporearum similitudinem, data
 » interdum parenti maritoque facultate extremum
 » supplicium de uxore sumendi. Talibus familiam
 » ortam connubiis necesse erat aut in bonis rei-
 » publicae esse, aut in mancipio patrifamilias, cui
 » leges hoc quoque posse dederant, non modo li-
 » berorum conficere et dirimere arbitrato suo nu-
 » ptias, verum etiam in eosdem exercere vitae ne-
 » cisque immanem potestatem. - Sed tot vitiis,
 » tantisque ignominiiis, quibus erant inquinata con-
 » jugia, sublevatio tandem et medicina divinitus
 » quaesita est; quandoquidem restitutor dignitatis
 » humanae legumque mosaicarum perfectior Jesus

» Christus non exiguam, neque postremam de ma-
 » trimonio curam adhibuit. Etenim nuptias in Cana
 » Galilaeae Ipse praesentia sua nobilitavit, primoque
 » ex prodigiis a se editis fecit memorabiles; quibus
 » caussis vel ex eo die in hominum conjugia novae
 » cujusdam sanctitudinis initia videntur esse pro-
 » fecta. Deinde matrimonium revocavit ad pri-
 » maevae originis nobilitatem, cum Hebraeorum
 » mores improbando, quod et multitudine uxorum
 » et repudii facultate abuterentur; tum maxime
 » praeciipiendo, ne quis dissolvere auderet quod
 » perpetuo conjunctionis vinculo Deus ipse con-
 » strinxisset. Quapropter cum difficultates diluisset
 » ab institutis mosaicis in medium allatas, supremi
 » legislatoris suscepta persona, haec de conjugibus
 » sanxit: *Dico autem vobis, quia quicumque dimi-*
 » *serit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et*
 » *aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam du-*
 » *xerit, moechatur*. - Verum quae auctoritate Dei
 » de conjugiiis decreta et constituta sunt, ea nuncii
 » divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius
 » memoriae litterisque prodiderunt. Jamvero Apo-
 » stolis magistris accepta referenda sunt, quae
 » *sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ec-*
 » *clesiae traditio semper docuerunt*, nimirum Chri-
 » stum Dominum ad Sacramenti dignitatem eve-
 » xisse matrimonium; simulque effecisse ut con-
 » juges, caelesti gratia quam merita ejus pepe-
 » rerunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso con-
 » jugio adipiscerentur: atque in eo, ad exemplar

» mystici connubii sui cum Ecclesia mire confor-
 » mato, et amorem qui est naturae consentaneus
 » perfecisse, et viri ac mulieris individuam suapte
 » natura societatem divinae caritatis vinculo va-
 » lidius conjunxisse. *Viri*, Paullus inquit ad Ephe-
 » sios, *diligite uxores vestras, sicut et Christus*
 » *dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut*
 » *illam sanctificaret...* *Viri debent diligere uxores*
 » *suas ut corpora sua... nemo enim unquam carnem*
 » *suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut*
 » *et Christus Ecclesiam; quia membra sumus cor-*
 » *poris ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Pro-*
 » *pter hoc relinquet homo patrem et matrem suam*
 » *et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne*
 » *una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem*
 » *dicò in Christo et in Ecclesia.* - Similiter Apo-
 » stolis auctoribus didicimus unitatem, perpetuam-
 » que firmitatem, quae ab ipsa requirebatur nu-
 » ptiarum origine, sanctam esse et nullo tempore
 » violabilem Christum jussisse. *Iis qui matrimonio*
 » *juncti sunt, idem Paullus ait, praecipio non ego,*
 » *sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod*
 » *si discesserit, manere innuptam, aut viro suo*
 » *reconciliari.* Et rursus: *Mulier alligata est legi,*
 » *quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit*
 » *vir ejus, liberata est.* - Hisce igitur caussis ma-
 » trimonium extitit *sacramentum magnum, hono-*
 » *rabile in omnibus, pium, castum, rerum altis-*
 » *simarum imagine et significatione verendum.* -
 » Neque iis dumtaxat quae commemorata sunt,

» christiana ejus perfectio absolutioque continetur.
 » Nam primo quidem nuptiali societati excelsius
 » quiddam et nobilius propositum est, quam antea
 » fuisset; ea enim spectare jussa est non modo
 » ad propagandum genus humanum, sed ad inge-
 » nerandam Ecclesiae sobolem, *cives Sanctorum*
 » *et domesticos Dei; ut nimirum populus ad veri*
 » *Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et reli-*
 » *gionem procrearetur atque educaretur.* - Secundo
 » loco sua utrique conjugum sunt officia definita,
 » sua jura integre descripta. Eos scilicet ipsos ne-
 » cesse est sic esse animo semper affectos, ut amo-
 » rem maximum, constantem fidem, sollers assi-
 » duumque praesidium alteri alterum debere intel-
 » ligant. - Vir est familiae princeps, et caput mu-
 » lieris; quae tamen, quia caro est de carne illius
 » et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro,
 » in morem non ancillae, sed sociae; ut scilicet
 » obedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas
 » absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae
 » paret, cum imaginem uterque referant alter Chri-
 » sti, altera Ecclesiae, divina caritas esto perpetua
 » moderatrix officii. Nam *vir caput est mulieris;*
 » *sicut Christus caput est Ecclesiae...* *Sed sicut*
 » *Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris*
 » *suis in omnibus.* - Ad liberos quod pertinet, su-
 » besse et obtemperare parentibus, hisque honorem
 » adhibere propter conscientiam debent; et vicissim
 » in liberis tuendis atque ad virtutem potissimum
 » informandis omnes parentum curas cogitatio-

» nesque evigilare necesse est: *Patres.... educate*
 » *illos (filios) in disciplina et correptione Domini.*
 » Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum
 » officia, neque levia; ea tamen conjugibus bonis,
 » ob virtutem quae Sacramento percipitur, non
 » modo tolerabilia fiunt, verum etiam jucunda. -
 » Christus igitur, cum ad talem ac tantam excel-
 » lentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum
 » disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit.
 » Quae potestatem in conjugia christianorum omni
 » cum tempore, tum loco exercuit, atque ita exer-
 » cuit, ut illam propriam ejus esse appareret, nec
 » hominum concessu quaesitam, sed auctoris sui
 » voluntate divinitus adeptam. - Quot vero et quam
 » vigiles curas in retinenda sanctitate nuptiarum
 » collocarit, ut sua his incolumitas maneret, plus
 » est cognitum quam ut demonstrari debeat. - Et
 » sane improbatos novimus Concilii Hierosolymi-
 » tani sententia amores solutos et liberos; civem
 » Corinthium incesti damnatum beati Paulli aucto-
 » ritate; propulsatos ac rejectos eodem semper te-
 » nore fortitudinis conatus plurimorum, matrimo-
 » nium christianum hostiliter petentium, videlicet
 » Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum
 » sub ipsa rei christianae primordia; nostra autem
 » memoria Mormonum, Sansimonianorum, Pha-
 » lansterianorum, Communistarum. - Simili modo
 » jus matrimonii aequabile inter omnes atque
 » unum omnibus est constitutum, vetere inter
 » servos et ingenuos sublato discrimine; exaequata

» viri et uxoris jura; etenim, ut ajebat Hiero-
 » nymus, *apud nos quod non licet feminis, aequae*
 » *non licet viris, et eadem servitus pari conditione*
 » *censetur:* atque illa eadem jura ob remunera-
 » tionem benevolentiae et vicissitudinem officiorum
 » stabiliter firmata; adserta et vindicata mulierum
 » dignitas; vetitum viro poenam capitis de adul-
 » tera sumere, juratamque fidem libidinese atque
 » impudice violare. - Atque illud etiam magnum
 » est quod de potestate patrumfamilias Ecclesia,
 » quantum oportuit, limitaverit, ne filiis et filiabus
 » conjugii cupidis quidquam de justa libertate mi-
 » nueretur; quod nuptias inter cognatos et affines
 » certis gradibus nullas esse posse decreverit, ut
 » nimirum supernaturalis conjugum amor latiore
 » se campo diffunderet; quod errorem et vim et
 » fraudem, quantum potuit, a nuptiis prohibenda
 » curaverit; quod sanctam pudicitiam thalami,
 » quod securitatem personarum, quod conjugiorum
 » decus, quod religionis incolumitatem sacra tecta
 » esse voluerit. Denique tanta vi, tanta providentia
 » legum divinum istud institutum communiit, ut
 » nemo sit rerum aequus existimator, quin intel-
 » ligat, hoc etiam ex capite quod ad conjugia re-
 » fertur, optimam esse humani generis custodem
 » ac vindicem Ecclesiam; cujus sapientia et fugam
 » temporum, et injurias hominum, et rerum publi-
 » carum vicissitudines innumerabiles victrix eva-
 » sit. - Sed, adnitente humani generis hoste, non
 » desunt qui, sicut cetera redemptionis beneficia

» ingrate repudiant, sic restitutionem perfectio-
 » nemque matrimonii aut spernunt, aut omnino
 » non agnoscunt. - Flagitium nonnullorum veterum
 » est, inimicos fuisse nuptiis in aliqua ipsarum
 » parte; sed multo aetate nostra peccant pernicio-
 » sius qui earum naturam, perfectam expletamque
 » omnibus suis numeris et partibus, malunt fun-
 » ditus pervertere. Atque hujus rei caussa in eo
 » praecipue sita est, quod imbuti falsae philoso-
 » phiae opinionibus corruptaque consuetudine ani-
 » mi plurimorum, nihil tam moleste ferunt, quam
 » subesse et parere; acerrimeque laborant, ut non
 » modo singuli homines, sed etiam familiae atque
 » omnis humana societas imperium Dei superbe
 » contemnant. - Cum vero et familiae et totius
 » humanae societatis in matrimonio fons et origo
 » consistat, illud ipsum jurisdictioni Ecclesiae su-
 » besse nullo modo patiuntur; imo dejicere ab omni
 » sanctitate contendunt, et in illarum rerum exi-
 » guum sane gyrum compellere, quae auctoribus
 » hominibus institutae sunt, et jure civili popu-
 » lorum reguntur atque administrantur. Unde se-
 » qui necesse erat, ut principibus reipublicae jus
 » in connubia omne tribuerent, nullum Ecclesiae
 » esse decernerent; quae si quando potestatem ejus
 » generis exercuit, id ipsum esse aut indulgentia
 » principum, aut injuria factum. Sed jam tempus
 » esse inquiunt, ut qui rempublicam gerunt, iidem
 » sua jura fortiter vindicent, atque omnem conju-
 » giorum rationem arbitrio suo moderari aggre-

» dantur. - Hinc illa nata, quae *matrimonia ci-*
 » *vilia* vulgo appellantur; hinc scitae leges de
 » caussis, quae conjugii impedimento sint; hinc
 » judiciales sententiae de contractibus conjuga-
 » libus, jure ne initi fuerint, an vitio. Postremo
 » omnem facultatem in hoc genere juris consti-
 » tuendi et dicundi videmus Ecclesiae catholicae
 » praereptam tanto studio, ut nulla jam ratio ha-
 » beatur nec divinae potestatis ejus, nec provi-
 » darum legum, quibus tamdiu vixere gentes, ad
 » quas urbanitatis lumen cum christiana sapientia
 » pervenisset. - Attamen *Naturalistae* iique omnes,
 » qui reipublicae numen se maxime colere profi-
 » tentes, malis hisce doctrinis totas civitates mi-
 » scere nituntur, non possunt reprehensionem fal-
 » sitatis effugere. Etenim cum matrimonium ha-
 » beat Deum auctorem, fueritque vel a principio
 » quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio,
 » ideirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam,
 » non adventitium, sed ingentum, non ab homi-
 » nibus acceptum, sed natura insitum. Quocirca
 » Innocentius III et Honorius III, decessores Nostri,
 » non injuria nec temere affirmare potuerunt, *apud*
 » *fideles et infideles existere Sacramentum conju-*
 » *gii*. Testamur et monumenta antiquitatis, et
 » mores atque instituta populorum, qui ad huma-
 » nitatem magis accesserant et exquisitiore juris
 » et aequitatis cognitione praestiterant: quorum
 » omnium mentibus informatum anticipatumque
 » fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent,

» forma occurreret rei cum religione et sanctitate
 » conjunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos
 » non sine caeremoniis religionum, auctoritate pon-
 » tificum, ministerio sacerdotum fieri saepe con-
 » sueverunt. - Ita magnam in animis caelesti do-
 » ctrina carentibus vim habuit natura rerum, me-
 » moria originum, conscientia generis humani! -
 » Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura,
 » sua sponte sacrum, consentaneum est, ut regatur
 » ac temperetur non principum imperio, sed divina
 » auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola
 » habet magisterium. - Deinde considerata sacra-
 » menti dignitas est, cujus accessione matrimonia
 » christianorum evasere longe nobilissima. De sa-
 » cramenti autem statuere et praecipere, ita, ex
 » voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia,
 » ut absonum sit plane potestatis ejus vel minimam
 » partem ad gubernatores rei civilis velle esse tran-
 » slatam. - Postremo magnum pondus est, magna
 » vis historiae, qua luculenter docemur, potestatem
 » legiferam et judicialem, de qua loquimur, libere
 » constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse
 » iis etiam temporibus, quando principes reipu-
 » blicae consentientes fuisse aut conniventes in
 » ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam
 » incredibile, quam absurdum, Christum Domi-
 » num damnasse polygamiae repudiique invete-
 » ratam consuetudinem delegata sibi a procuratore
 » provinciae vel a principe Judaeorum potestate;
 » similiter Paullum Apostolum divortia incestasque

» nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite
 » mandantibus Tiberio, Caligola, Nerone! Neque
 » illud unquam homini sanae mentis potest per-
 » suaderi, de sanctitate et firmitudine conjugii,
 » de nuptiis servos inter et ingenuas, tot esse ab
 » Ecclesia conditas leges, impetrata facultate ab
 » Imperatoribus romanis, inimicissimis nomini
 » christiano, quibus nihil tam fuit propositum,
 » quam vi et caede religionem Christi opprimere
 » adolescentem: praesertim cum jus illud ab Ec-
 » clesia profectum a civili jure interdum adeo dis-
 » sideret, ut Ignatius Martyr, Justinus, Athena-
 » goras et Tertullianus, tamquam injustas vel
 » adulterinas publice traducerent nonnullorum nu-
 » ptias, quibus tamen imperatoriae leges favebant.-
 » Postea vero quam ad christianos Imperatores po-
 » tentatus omnis reciderat, Pontifices maximi et
 » Episcopi in Concilia congregati, eadem semper
 » cum libertate conscientiaque juris sui, de matri-
 » moniis jubere vetare perseverarunt quod utile
 » esse, quod expedire temporibus censuissent, ut-
 » cumque discrepans ab institutis civilibus vide-
 » retur. Nemo ignorat quam multa de impedi-
 » mentis ligaminis, voti, disparitatis cultus, con-
 » sanguinitatis, criminis, publicae honestatis in
 » Conciliis Illiberitano, Arelatensi, Chalcedonensi,
 » Milevitano II aliisque, fuerint ab Ecclesiae prae-
 » sulibus constituta, quae a decretis jure impera-
 » torio sancitis longe saepe distarent. - Quin tan-
 » tum abfuit, ut viri principes sibi adsciscerent

» in matrimonia christiana potestatem, ut potius
 » eam, quanta est, penes Ecclesiam esse agno-
 » scerent et declararent. Revera Honorius, Theo-
 » dosius junior, Justinianus fateri non dubitarunt,
 » in iis rebus quae nuptias attingant, non amplius
 » quam custodibus et defensoribus sacrorum ca-
 » nonum sibi esse licere. Et de connubiorum im-
 » pedimentis si quid per edicta sanxerunt, caussam
 » docuerunt non inviti, nimirum id sibi sumpsisse
 » ex Ecclesiae permissu atque auctoritate; cujus
 » ipsius iudicium exquirere et reverenter accipere
 » consueverunt in controversiis de honestate na-
 » talium, de divortiis, denique de rebus omnibus
 » cum conjugali vinculo necessitudinem quoquo
 » modo habentibus. - Igitur jure optimo in Con-
 » cilio Tridentino definitum est in Ecclesiae pote-
 » state esse *impedimenta matrimonium dirimentia*
 » *constituere, et caussas matrimoniales ad iudices*
 » *ecclesiasticos spectare.* - Nec quemquam moveat
 » illa tantopere a Regalisticis praedicata distinctio,
 » vi cuius contractum nuptialem a sacramento
 » disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiae reser-
 » vatis sacramenti rationibus, contractum tradant
 » in potestatem arbitriumque principum civitatis.-
 » Etenim non potest huiusmodi distinctio, seu
 » verius distractio, probari; cum exploratum sit
 » in matrimonio christiano contractum a sacra-
 » mento non esse dissociabilem; atque ideo non
 » posse contractum verum et legitimum consistere,
 » quin sit eo ipso sacramentum. Nam Christus

» Dominus dignitate sacramenti auxit matrimo-
 » nium; matrimonium autem est ipse contractus,
 » si modo sit factus jure. - Huc accedit, quod ob
 » hanc caussam matrimonium est sacramentum,
 » quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et
 » imaginem referens mysticarum nuptiarum Chri-
 » sti cum Ecclesia. Istarum autem forma ac figura
 » illo ipso exprimitur summae conjunctionis vin-
 » culo, quo vir et mulier inter se conligantur,
 » quodque aliud nihil est, nisi ipsum matrimo-
 » nium. Itaque apparet, omne inter christianos
 » justum conjugium in se et per se esse sacra-
 » mentum: nihilque magis abhorrere a veritate,
 » quam esse sacramentum decus quoddam ad-
 » junctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus,
 » quae a contractu disjungi ac disparari hominum
 » arbitrato queat. - Quapropter nec ratione effi-
 » citur, nec teste temporum historia comprobatur
 » potestatem in matrimonia christianorum ad prin-
 » cipes reipublicae esse jure traductam. Quod si
 » hac in re alienum violatum jus est, nemo pro-
 » fecto dixerit esse ab Ecclesia violatum. - Utinam
 » vero Naturalistarum oracula, ut sunt plena fal-
 » sitatis et injustitiae, ita non etiam essent fecunda
 » detrimentorum et calamitatum. Sed facile est
 » pervidere quantam profanata conjugia perniciem
 » attulerint; quantam allatura sint universae ho-
 » minum communitati. - Principio quidem lex est
 » provisa divinitus, ut quae Deo et natura aucto-
 » ribus instituta sunt, ea tanto plus utilia ac sa-

» lutaria experiamur, quanto magis statu nativo
 » manent integra atque incommutabilia; quando-
 » quidem procreator rerum omnium Deus probe
 » novit quid singularum institutioni et conserva-
 » tioni expediret, cunctasque voluntate et mente
 » sua sic ordinavit, ut suum unaquaeque exitum
 » convenienter habitura sit. At si rerum ordinem
 » providentissime constitutum immutare et pertur-
 » bare hominum temeritas aut improbitas velit,
 » tum vero etiam sapientissime atque utilissime
 » instituta aut obesse incipiunt, aut prodesse de-
 » sinunt, vel quod vim juvandi mutatione ami-
 » serint, vel quod tales Deus ipse poenas malit
 » de mortalium superbia atque audacia sumere.
 » Jamvero qui sacrum esse matrimonium negant,
 » atque omni despoliatum sanctitate in rerum pro-
 » fanarum conjiciunt genus, ii pervertunt funda-
 » menta naturae, et divinae providentiae tum con-
 » siliis repugnant, tum instituta, quantum potest,
 » demoliuntur. Quapropter mirum esse non debet,
 » ex hujusmodi conatibus insanis atque impiis eam
 » generari malorum segetem, qua nihil est saluti
 » animorum, incolumitatisque reipublicae pernicio-
 » sius. - Si consideretur quorsum matrimoniorum
 » pertineat divina institutio, id erit evidentissi-
 » mum, includere in illis voluisse Deum utilitatis
 » et salutis publicae uberrimos fontes. Et sane,
 » praeter quam quod propagationi generis humani
 » prospiciunt, illuc quoque pertinent, ut meliorem
 » vitam conjugum beatioremque efficiant; idque

» pluribus caussis, nempe mutuo ad necessitates
 » sublevandas adjuncto, amore constanti et fideli,
 » communionem omnium bonorum, gratia caelesti,
 » quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plu-
 » rimum possunt ad familiarum salutem; nam ma-
 » trimonia quamdiu sint congruentia naturae, Dei-
 » que consiliis apte convenient, firmare profecto
 » valebunt animorum concordiam inter parentes,
 » tueri bonam institutionem liberorum, temperare
 » patriam potestatem proposito divinae potestatis
 » exemplo, filios parentibus, famulos heris facere
 » obedientes. Ab ejusmodi autem conjugii expe-
 » ctare civitates jure possunt genus et sobolem
 » civium qui probe animati sint, Deique reverentia
 » atque amore assueti, sui officii esse ducant juste
 » et legitime imperantibus obtemperare, cunctos
 » diligere, laedere neminem. - Hos fructus tantos
 » ac tam praeclaros tamdiu matrimonium revera
 » genuit, quamdiu munera sanctitatis, unitatis,
 » perpetuitatisque retinuit, a quibus vim omnem
 » accipit frugiferam et salutarem; neque est du-
 » bitandum similes paresque ingeneraturum fuisse,
 » si semper et ubique in potestatem fidemque fuis-
 » set Ecclesiae, quae illorum munerum est fidis-
 » sima conservatrix et vindex. - Sed quia modo
 » passim libuit humanum jus in locum naturalis
 » et divini supponere, deleri non solum coepit ma-
 » trimonii species ac notio praestantissima, quam
 » in animis hominum impresserat et quasi consi-
 » gnaverat natura; sed in ipsis etiam Christia-

» norum conjugiiis, hominum vitio, multum vis
 » illa debilitata est magnorum bonorum procrea-
 » trix. Quid est enim boni quod nuptiales afferre
 » possint societates, unde abscedere christiana re-
 » ligio jubetur, quae parens est omnium bonorum,
 » maximasque alit virtutes, excitans et impellens
 » ad decus omne generosi animi atque excelsi?
 » Illa igitur semota ac rejecta, redigi nuptias oportet
 » in servitutem vitiosae hominum naturae et
 » pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis
 » naturalis parum valido defensas patrocinio. Hoc
 » fonte multiplex derivata perniciēs, non modo in
 » privatas familias, sed etiam in civitates influxit.
 » Etenim salutari depulso Dei metu, sublataque
 » curarum levatione, quae nusquam alibi est quam
 » in religione christiana major, persaepe fit, quod
 » est factu proclive, ut vix ferenda matrimonii munera
 » et officia videantur; et liberari nimis multi
 » vinculum velint, quod jure humano et sponte
 » nexum putant, si dissimilitudo ingeniorum, aut
 » discordia, aut fides ab alterutro violata, aut
 » utriusque consensus, aliaeve caussae liberari
 » suadeant oportere. Et si forte satis fieri proca-
 » citati voluntatum lege prohibeatur, tum iniquas
 » clamant esse leges, inhumanas, cum jure civium
 » liberorum pugnantēs; quapropter omnino videntur
 » dum ut, illis antiquatis abrogatisque, licere divortia
 » humaniore lege decernatur. - Nostrorum
 » autem temporum legumlatōres, cum eorūdem
 » juris principiorum tenaces se ac studiosos pro-

» fiteantur, ab illa hominum improbitate, quam
 » diximus, se tueri non possunt, etiamsi maxime
 » velint: quare cedendum temporibus ac divortiorum
 » concedenda facultas. - Quod historia idem
 » ipsa declarat. Ut enim alia praetereamus, ex-
 » ante saeculo superiore, in illa non tam perturbatione
 » quam deflagratione Galliarum, cum societas omnis,
 » amoto Deo, profanaretur, tum demum placuit ratas
 » legibus esse conjugum discessionēs. Easdem autem
 » leges renovari hoc tempore multi cupiunt, propterea
 » quod Deum et Ecclesiam pelli e medio ac submo-
 » veri volunt a societate conjunctionis humanae; stulte
 » putantes extremum grassanti morum corruptelae
 » remedium ab ejusmodi legibus esse quaerendum.
 » - At vero quanti materiam mali in se divortia
 » contineant, vix attinet dicere. Eorum enim
 » caussa fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur
 » mutua benevolentia; infidelitati pernicio-
 » sa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque
 » institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus
 » domesticis praebet occasio; discordiarum inter
 » familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur
 » dignitas mulierum, quae in periculum veniunt ne,
 » cum libidini virorum inservierint, pro derelictis
 » habeantur. - Et quoniam ad perendas familias,
 » frangendasque regnorum opes nihil tam valet,
 » quam corruptela morum, facile perspicitur,
 » prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica
 » esse divortia, quae a depravatis

» populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum
 » usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae con-
 » suetudines aditum januamque patefaciunt. - Mul-
 » toque esse graviora haec mala constabit, si con-
 » sideretur, frenos nullos futuros tantos, qui con-
 » cessam semel divortiorum facultatem valeant
 » intra certos, aut ante provisos, limites coercere.
 » Magna prorsus est vis exemplorum, major cu-
 » piditatum: hisce incitamentis fieri debet, ut di-
 » vortiorum libido latius quotidie serpens pluri-
 » morum animos invadat, quasi morbus contagione
 » vulgatus, aut agmen aquarum, superatis agge-
 » ribus, exundans. - Haec certe sunt omnia per
 » se clara; sed renovanda rerum gestarum me-
 » moria fiunt clariora. - Simul ac iter divortiis
 » tutum lege praestari coepit, dissidia, simultates,
 » secessionis plurimum crevere; et tanta est vi-
 » vendi turpitudine consecuta, ut eos ipsos, qui
 » fuerant talium discessionum defensores, facti
 » poenituerit; qui nisi contraria lege remedium ma-
 » ture quaesissent, timendum erat, ne praeceps
 » in suam ipsa perniciem respublica dilaberetur. -
 » Romani veteres prima divortiorum exempla di-
 » cuntur inhorruisse; sed non longa mora sensus
 » honestatis in animis obstupescere, moderator cu-
 » piditatis pudor interire, fidesque nuptialis tanta
 » cum licentia violari coepit, ut magnam veri si-
 » militudinem habere videatur quod a nonnullis
 » scriptum legimus, mulieres non mutatione con-
 » sulum, sed maritorum enumerare annos consue-

» visse. - Pari modo apud Protestantes principio
 » quidem leges sanxerant, ut divortia fieri liceret
 » certis de causis, iisque non sane multis: istas
 » tamen propter rerum similibus affinitatem, com-
 » pertum est in tantam multitudinem excrevisse
 » apud Germanos, Americanos, aliosque, ut qui
 » non stulte sapuissent, magnopere deffendam pu-
 » tarint infinitam morum depravationem, atque in-
 » tolerandam legum temeritatem. - Neque aliter
 » se res habuit in civitatibus catholici nominis:
 » in quibus si quando datus est conjugiorum di-
 » scidiis locus, incommodorum, quae consecuta
 » sunt, multitudo opinionem legislatorum longe
 » vicit. Nam scelus plurimorum fuit, ad omnem
 » malitiam fraudemque versare mentem, ac per
 » saevitiam adhibitam, per injurias, per adulteria
 » fingere causas ad illud impune dissolvendum,
 » cujus pertaesum esset, conjunctionis maritalis
 » vinculum: idque cum tanto publicae honestatis
 » detrimento, ut operam emendandis legibus quam-
 » primum dari omnes judicaverint oportere. - Et
 » quisquam dubitabit, quin exitus aequae miseris
 » et calamitosos habiturae sint leges divortiorum
 » faatrices, sicubi forte in usum aetate nostra re-
 » vocentur? Non est profecto in hominum com-
 » mentis vel decretis facultas tanta, ut immutare
 » rerum naturalem indolem conformationemque
 » possint: quapropter parum sapienter publicam
 » felicitatem interpretantur, qui germanam matri-
 » monii rationem impune perverti posse putant;

» et, qualibet sanctitate cum religionis tum Sacra-
 » menti posthabita, diffingere ac deformare con-
 » jugia turpius velle videntur, quam ipsa ethni-
 » corum instituta consuevissent. Ideoque nisi con-
 » silia mutantur, perpetuo sibi metuere familiae
 » et societas humana debebunt, ne miserrime con-
 » jiciantur in illud rerum omnium certamen atque
 » discrimen, quod est Socialistarum et Communi-
 » starum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. -
 » Unde liquet quam absonum et absurdum sit pu-
 » blicam salutem a divortiis expectare, quae po-
 » tius in certam societatis perniciem sunt evasura. -
 » Igitur confitendum est, de communi omnium po-
 » pulorum bono meruisse optime Ecclesiam ca-
 » tholicam, sanctitati et perpetuitati conjugiorum
 » tuendae semper intentam; nec exiguam ipsi gra-
 » tiam deberi, quod legibus civicis centum jam
 » annos in hoc genere multa peccantibus palam
 » reclamaverit; quod haeresim deterrimam Prote-
 » stantium de divortiis et repudiis anathemate per-
 » culerit; quod usitatum graecis diremptionem ma-
 » trimoniorum multis modis damnaverit; quod ir-
 » ritas esse nuptias decreverit ea conditione initas,
 » ut aliquando dissolvantur; quod demum vel a
 » prima aetate leges imperatorias repudiarit, quae
 » divortiis et repudiis perniciose favissent. - Pon-
 » tifices vero maximi quoties restiterunt princi-
 » pibus potentissimis, divortia a se facta ut rata
 » Ecclesiae essent minaciter petentibus, toties exi-
 » stimandi sunt non modo pro incolumitate reli-

» gionis, sed etiam pro humanitatis gentium pro-
 » pugnasse. Quam ad rem omnis admirabitur
 » posteritas invicti animi documenta a Nicolao I
 » edita adversus Lotharium; ab Urbano II et Pa-
 » schali II adversus Philippum I regem Galliarum;
 » a Caelestino III et Innocentio III adversus Al-
 » phonsum a Leone et Philippum II principem Gal-
 » liarum; a Clemente VII et Paulo III adversus
 » Henricum VIII; denique a Pio VII sanctissimo
 » fortissimoque Pontifice adversus Napoleonem I,
 » secundis rebus et magnitudine imperii exultan-
 » tem. - Quae cum ita sint, omnes gubernatores
 » administratoresque rerum publicarum, si ra-
 » tionem sequi, si sapientiam, si ipsam populorum
 » utilitatem voluissent, malle debuerant sacras de
 » matrimonio leges intactas manere, oblatumque
 » Ecclesiae adjumentum in tutelam morum prospe-
 » ritatemque familiarum adhibere, quam ipsam vo-
 » care Ecclesiam in suspicionem inimicitiae, et in
 » falsam atque iniquam violati juris civilis insimu-
 » lationem. - Eoque magis, quod Ecclesia catho-
 » lica, ut in re nulla potest ab religione officii et
 » defensione juris sui declinare, ita maxime solet
 » esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis
 » in rebus omnibus, quae cum incolumitate jurium
 » et sanctitate officiorum suorum possunt una con-
 » sistere. Quam ob rem nihil unquam de matri-
 » moniis statuit, quin respectum habuerit ad sta-
 » tum communitatis, ad condiciones populorum;
 » nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad

» potuit, mitigavit, quando ut mitigaret caussae
 » justae et graves impulerunt. - Item non ipsa
 » ignorat neque diffitetur, sacramentum matri-
 » monii, cum ad conservationem quoque et incre-
 » mentum societatis humanae dirigatur, cogna-
 » tionem et necessitudinem habere cum rebus ipsis
 » humanis, quae matrimonium quidem consequun-
 » tur, sed in genere civili versantur: de quibus
 » rebus jure decernunt et cognoscunt qui rei pu-
 » blicae praesunt. - Nemo autem dubitat, quin
 » Ecclesiae conditor Jesus Christus potestatem sa-
 » cram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas
 » utramque res agendas liberam atque expeditam;
 » hoc tamen adjuncto, quod utrique expedit, et
 » quod interest omnium hominum, ut conjunctio
 » inter eas et concordia intercederet, in iisque
 » rebus quae sint, diversa licet ratione, communis
 » juris et judicii, altera, cui sunt humana tradita,
 » opportune et congruenter ab altera penderet, cui
 » sunt caelestia concredita. Hujusmodi autem com-
 » positione, ac fere harmonia, non solum utriusque
 » potestatis optima ratio continetur, sed etiam op-
 » portunissimus atque efficacissimus modus ju-
 » vandi hominum genus in eo quod pertinet ad
 » actionem vitae et ad spem salutis sempiternae.
 » Etenim sicut hominum intelligentia, quemad-
 » modum in superioribus Encyclicis Litteris osten-
 » dimus, si cum fide christiana conveniat, multum
 » nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac re-
 » pellendos errores munitior, vicissimque fides non

» parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic
 » pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis
 » auctoritas amice congruat, magna utrique ne-
 » cesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim
 » amplificatur dignitas, et, religione praeunte,
 » numquam erit non justum imperium: alteri vero
 » adjuncta tutelae et defensionis in publicum fi-
 » delium bonum suppeditantur. - Nos igitur, ha-
 » rum rerum consideratione permoti, cum studiose
 » alias, tum vehementer in praesenti viros prin-
 » cipes in concordiam atque amicitiam jungendam
 » iterum hortamur; iisdemque paterna cum bene-
 » volentia veluti dexteram primi porrigimus, oblato
 » supremae potestatis Nostrae auxilio, quod tanto
 » magis est hoc tempore necessarium, quanto jus
 » imperandi plus est in opinione hominum, quasi
 » accepto vulnere, debilitatum. Incensis jam pro-
 » caci libertate animis, et omne imperii, vel ma-
 » xime legitimi, jugum nefario ausu detrectan-
 » tibus, salus publica postulat, ut vires utriusque
 » potestatis consocientur ad prohibenda damna,
 » quae non modo Ecclesiae, sed ipsi etiam civili
 » societati impendent. - Sed cum amicam volun-
 » tatem conjunctionem valde suademus, preca-
 » murque Deum, principem pacis, ut amorem con-
 » cordiae in animos cunctorum hominum injiciat,
 » tum temperare Nobis ipsi non possumus, quin
 » Vestram industriam, Venerabiles Fratres, Ve-
 » strum studium ac vigilantiam, quae in Vobis
 » summa esse intelligimus, magis ac magis hor-

» tando incitemus. Quantum contentione assequi,
 » quantum auctoritate potestis, date operam, ut
 » apud gentes fidei Vestrae commendatas integra
 » atque incorrupta doctrina retineatur, quam Chri-
 » stus Dominus et caelestis voluntatis interpretes
 » Apostoli tradiderunt, quamque Ecclesia catholica
 » religiose ipsa servavit, et a Christifidelibus ser-
 » vari per omnes aetates jussit. - Praecipuas curas
 » in id insumite, ut populi abundant praecceptis
 » sapientiae christianae, semperque memoria te-
 » neant matrimonium non voluntate hominum, sed
 » auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum,
 » et hac lege prorsus ut sit unius ad unam: Chri-
 » stum vero novi Foederis auctorem illud ipsum
 » ex officio naturae in Sacramenta transtulisse,
 » et quod ad vinculum spectat, legiferam et judi-
 » cialem Ecclesiae suae adtribuisse potestatem.
 » Quo in genere cavendum magnopere est, ne in
 » errorem mentes inducantur a fallacibus conclu-
 » sionibus adversariorum, qui ejusmodi potestatem
 » ademptam Ecclesiae vellent. - Similiter omnibus
 » exploratum esse debet, si qua conjunctio viri
 » et mulieris inter Christifideles citra Sacramentum
 » contrahatur, eam vi ac ratione justis matrimonii
 » carere; et quamvis convenienter legibus civicis
 » facta sit, tamen plaris esse non posse, quam
 » ritum aut morem, jure civili introductum; jure
 » autem civili res tantummodo ordinari atque ad-
 » ministrari posse, quas matrimonia efferunt ex
 » sese in genere civili, et quas gigni non posse

» manifestum est, nisi vera et legitima illarum
 » caussa, scilicet nuptiale vinculum, existat. -
 » Haec quidem omnia probe cognita habere ma-
 » xime sponsorum refert, quibus etiam probata
 » esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac
 » in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente
 » Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes
 » partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne
 » quid liberis detrimenti afferatur. - In tanta autem
 » confusione sententiarum, quae serpunt quotidie
 » longius, id quoque est cognitu necessarium, sol-
 » vere vinculum conjugii inter christianos rati et
 » consummati nullius in potestate esse; ideoque
 » manifesti criminis reos esse, si qui forte con-
 » juges, quaecumque demum caussa esse dicatur,
 » novo se matrimonii nexu ante implicare velint,
 » quam abrumpi primum morte contigerit. - Quod
 » si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius
 » non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit al-
 » terum ab altera seorsum agere, adhibendisque
 » curis ac remediis ad conjugum conditionem ac-
 » commodatis, lenire studet secessionis incommo-
 » da; nec umquam committit, ut de reconcilianda
 » concordia aut non laboret aut desperet. - Verum
 » haec extrema sunt; quo facile esset non descen-
 » dere, si sponsi non cupiditate acti, sed prae-
 » sumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum
 » caussis conjugiorum nobilissimis, ea qua aequum
 » est mente ad matrimonium accederent; neque
 » nuptias anteverterent continuatione quadam se-

» rieque flagitiorum, irato Deo. Et ut omnia paucis
 » complectamur, tunc matrimonia placidam quie-
 » tamque constantiam habitura sunt, si conjuges
 » spiritum vitamque hauriant a virtute religionis,
 » quae forti invictoque animo esse tribuit; quae
 » efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia
 » morum et ingeniorum, ut curarum maternas
 » pondus, ut educationis liberorum operosa solli-
 » citudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi
 » non solum moderate, sed etiam libenter perfe-
 » rantur. - Illud etiam cavendum est, ne scilicet
 » conjugia facile appetantur cum alienis a catho-
 » lico nomine: animos enim de disciplina religionis
 » dissidentes vix sperari potest futuros esse cetera
 » concordem. Quin imo ab ejusmodi conjugiiis ex
 » eo maxime perspiciuntur esse abhorrendum, quod
 » occasionem praebent vitiae societati et commu-
 » nicationi rerum sacrarum, periculum religioni
 » creant conjugis catholici, impedimento sunt bo-
 » nae institutioni liberorum, et persaepe animos
 » impellunt, ut cunctarum religionum aequam ha-
 » bere rationem assuescant, sublato veri falsique
 » discrimine. - Postremo loco, cum probe intelli-
 » gamus, alienum esse a caritate Nostra neminem
 » oportere, auctoritati fidei et pietati Vestrae, Ve-
 » nerabiles Fratres, illos commendamus, valde
 » quidem miseros, qui aestu cupiditatum abrepti,
 » et salutis suae plane immemores contra fas vi-
 » vunt, haud legitimi matrimonii vinculo con-
 » juncti. In his ad officium revocandis hominibus

» Vestra sollers industria versetur: et cum per Vos
 » ipsi, tum interposita virorum bonorum opera,
 » modis omnibus contendite, ut sentiant se flagi-
 » tiose fecisse, agant nequitiae poenitentiam, et
 » ad justas nuptias ritu catholico ineundas animum
 » inducant. - Haec de matrimonio christiano do-
 » cumenta ac praecepta, quae per has litteras No-
 » stras Vobiscum, Venerabiles Fratres, communi-
 » canda censuimus, facile videtis, non minus ad
 » conservationem civilis communitatis, quam ad
 » salutem hominum sempiternam magnopere per-
 » tinere. - Faxit igitur Deus ut quanto plus habent
 » illa momenti et ponderis, tanto dociles prom-
 » ptosque magis ad parendum animos ubique nan-
 » ciscantur. Hujus rei gratia, supplice atque hu-
 » mili prece omnes pariter opem imploremus bea-
 » tae Mariae Virginis Immaculatae, quae, excitatis
 » mentibus ad obediendum fidei, matrem se et
 » adjutricem hominibus impertiat. Neque minore
 » studio Petrum et Paullum obsecremus, Principes
 » Apostolorum, domitores superstitionis, satores
 » veritatis, ut ab eluvione renascentium errorum
 » humanum genus firmissimo patrocínio tueantur. -
 » Interea caelestium munerum auspiciem et singu-
 » laris benevolentiae Nostrae testem, Vobis omni-
 » bus, Venerabiles Fratres, et populis vigilantiae
 » Vestrae commissis, Apostolicam Benedictionem
 » ex animo impertimus. - Datum Romae apud
 » S. Petrum, die 10 Februarii 1880, Pontificatus
 » Nostri Anno Secundo. - Leo PP. XIII. »

5.º Absolutissimo hoc documento, quo universa catholica doctrina de matrimonio a Supremo Ecclesiae Doctore Romano Pontifice mirifice et clarissime exponitur praesens profecto tempus egebat. Siquidem profligata jamdiu poligamiae et divortii monstra non modo haereticas societates invadere, sed et catholicas gentes inficere denuo minitantur. Quibus gravissimis malis, sicut et aliis maritali unioni impendentibus nullum est tutum effugium, cum repudiata Ecclesiae auctoritate Rectores civilium societatum super matrimoniali foedere leges ferre et judicia reddere populis non reformident etiam in iis, quae vinculum conjugale respiciunt. Quod quam sit adversum divinis ordinationibus in ipsa primaeva institutione conjugii, et Evangelicae praesertim veritati nemo non videt, juxta quam matrimonium ad Sacramenti dignitatem a Christo Domino elatum est. Insistendum proinde fuit in exclusivo Ecclesiae jure ordinandi matrimonium christianorum jamdiu ab omnibus recepto adeo ut politicae potestati non relinquerentur nisi ea decernenda, quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur. Explodenda deinde fuit illa a regalistis decantata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento distinguunt, eaque verius *distractio* vocanda, cum in matrimonio christiano contractus a sacramento non sit dissociabilis, atque proinde ut ludicrum et inane commentum reputandum sic dictum *matrimonium civile*, quod nullam veri matrimonii per se habet

validitatem. Et quoniam quod verum est, si utile quoque sit nos potenter allicit, sicut quod falsum, si perniciosum quoque est ab eo facilius abstinemus, hinc sapientissime insistendum fuit in recensendis ex historia commodis ex servata in hac re catholicae Ecclesiae legislatione, quemadmodum in numerandis malis, quae ex derelicta catholica veritate dimanarunt. Utinam quae infallibili magisterio et paterno affectu Summus Pontifex Leo XIII universas gentes edocuit, ea omnium mentes et corda captivent!

6.º Post ea, quae in antecessum exposuimus, quaeritur a juristis an aliquis sit casus, in quo matrimonium dissolvi possit? Cui interrogationi satisfit recolendo eam distinctionem, quae existit inter matrimonium *legitimum, ratum, et consummatum*; aliamque distinctionem adhibendo scilicet de diversis divortii speciebus, nempe quod divortium aliud sit *plenum*, quando nempe resolvitur ipsum vinculum, et partes omnimodam libertatem recuperant sublato impedimento *ligaminis*, aliud vero divortium est *minus-plenum*, quando integro remanente vinculo dissociatur ex causa individua vitae consuetudo, ita ut non maneat ex una parte obligatio praestandi officia maritalia, sed non sit licentia ineundi alias nuptias: quod divortium minus-plenum iterum subdividitur in perpetuum et temporaneum, prout liberatio a praestandis maritalibus officiis ex alterius culpa inducta ex hujus ad meliorem frugem conversione non reintegretur,

sed semper maneat ad arbitrium partis innocentis, aut reintegranda sit ex illius conversione. Porro in matrimonio legitimo nempe in infidelitate contracto est casus, quo illud etiamsi consummatum nihilominus solvatur, si unus ad fidem convertatur, et alter renuat converti, aut saltem cohabitare nolit sine contumelia Creatoris. Quod luculenter constat ex Pauli testimonio in *Ep. 1 ad Corint. cap. 7* quod Innocentius III in *cap. 7 h. t.* his verbis declarat: « Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, qui relinquitur ad secunda si voluerit vota transibit. Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat: frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi: et canonem, in quo dicitur, contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. » Et hoc privilegium a Christo inductum est in favorem fidei, ne infideles a conversione deterrerentur, si obstricti priori vinculo, cum non possent aliud matrimonium contrahere ex instaurata monogamia, alterius ex iniquitate, qui nollet pacifice cohabitare, tenerentur servare coactum caelibatum. Et in vim istius privilegii divini solvitur conjugium, non autem ex auctoritate Papae, ut clare demonstrat Benedictus XIV *De Syn. Dioec. lib. 13 cap. 21*; etsi Pontifex in talibus casibus interveniat ut divini juris interpres

declarans quo casu conversus ad fidem eo uti possit diversis circumstantiis.

7.° Frui autem potest conversus hoc privilegio in tribus casibus, nempe: - 1° si infidelis renuat cohabitare in odium fidei; - 2° si infidelis velit cohabitare sed non sine contumelia Creatoris, ejusque laudes prohibeat, et ad defectionem conversum velit inducere, vel - 3° si conjux infidelis pertrahat fidelem ad peccatum mortale, ut notatur in *cap. 7 h. t.* - Et jure quidem, cum in his duobus postremis casibus conjux fidelis ad arcendum periculum subversionis teneatur relinquere cohabitationem, semper in unoquoque ex tribus casibus verificatur ejus dispendium ex conversione ad fidem, quod dispendium vitare voluit Christus concedendo hoc privilegium. Idque habet locum, etiamsi conjux in infidelitate manens per aliquod tempus cum converso pacifice cohabitare consentiat, et deinde mutata voluntate id amplius implere nolit, tunc enim fidelis divina dispensatione uti potest, ut decisis Congregatio S. Officii in Casu oblato a Missione Cocincinensi *die 1 Augusti 1759* sub Clemente XIII, ubi permissum est fidei ad alia vota transire, etsi mansisset cum infideli per aliquot annos, qui postea mutata voluntate renuit cohabitare nisi cum contumelia Creatoris. - Aliud autem dicendum esset, si pars infidelis discessisset non in odium fidei, sed ex alia causa, puta ob adulterium. Nam in hoc eventu Doctores distinguunt quatuor diversas species: - (α) si adulterium

patratum sit a parte fidei post conversionem et susceptum baptismum; - (β) vel ab eodem sit patratum ante conversionem; - (γ) vel si eo crimine se ambo foedaverint; - (δ) vel demum si pars in infidelitate manens hujus criminis rea sit. - Si enim primum contingat pars fidelis non potest privilegio hoc uti, cum pars infidelis discedendi habuerit legitimam causam, et privilegium tributum sit in favorem fidei, non in favorem delicti, prout decisit S. Congregatio Inquisitionis *die 1 Augusti 1759*. Si vero adveniat secundus casus, tunc cum macula adulterii per conversionem et baptismum sublata esse censeatur, et pars infidelis irrationabiliter et injuste in suscepto consilio perseveret minime se parti fidei reconciliandi, facta interpellatione, an velit pars infidelis recipere partem fidelem et cum ea absque contumelia Creatoris habitare, ne pars fidelis in statu involuntariae continentiae cum peccandi periculo maneat, potest haec ad alia vota transire, et ita decisum est a Suprema Inquisitione *die 17 Januar. 1797*. At si tertius casus obveniat, cum crimina quoad poenam compensentur, et propter adulterium ab utroque commissum neutra pars habeat justam causam discedendi, si post interpellationem pars infidelis renuerit habitare absque contumelia Creatoris, potest pars fidelis ad alia vota transire, ut docet cum pluribus Doctoribus Benedictus XIV in *Quaest. Canon. 546*. Quod si demum adveniat adulterium patratum esse ab infideli, tunc pars

conversa potest vel divisa manere etiam si altera pars cupiat reconciliationem, aut illâ irrequisitâ ad sacros ordines ascendere aut professionem solemnem in ordine approbato edere, quia jus habet perpetuo discedendi. Sed in casu transitus ad secundas nuptias non datur, quia non potest applicari privilegium fidei, quod considerat dispendium habitum ex irrationabili discessu conjugis in infidelitate manentis in odium receptae fidei.

8.° Hoc autem privilegio ad fidem conversus uti non potest, nisi praecedat interpellatio conjugis infidelis, quod aperte constat ex citato Pauli testimonio et *cap. 7 h. t.* dependet enim a conditione explorandae voluntatis infidelis: an velit converti, aut saltem cohabitare sine contumelia Creatoris. Unde S. Congregatio Concilii *die 23 Januarii 1603*, ut refertur in *lib. 10 Decret. pag. 55* respondit: « S. Congregatio censuit ita respondendum: minime posse praedictos ad veram fidem conversos accipere alias fideles uxores, nisi prius constiterit utrum primae voluerint cum eis permanere vel non. Quod si noluerint cohabitare, vel si voluerint non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut conversos ad peccatum mortale pertrahant, tunc posse alias fideles accipere uxores. Si cohabitare absque Creatoris contumelia velint, et absque eo quod conversos ad mortale peccatum pertrahant, quamvis veram agnoscere fidem noluerint, non posse conversos alias fideles accipere uxores. Non sufficere ea quae proponuntur, nempe

loci distantiam, difficultatem ac praesumptionem cum constare debeat de voluntate ipsarum uxorum infidelium. » - Ex quo S. Congregationis Rescripto sequentia eruuntur consecutaria: - (a) hanc interpellationem requiri ad *valide* contrahendum alterum conjugium, non vero tantum ad ejusdem licitatem, quod confirmatur ex alio responso S. Congregationis de Propaganda Fide pro Vicariatu Apostolico Tunchini *Occidentalis diei 5 Martii* 1816; - (b) non posse ab hac interpellatione aliquem eximi, eo quod satis constaret de contrario infidelis animo, puta quia conjugii ad baptismum pergenti dedit libellum repudii, aliasque in odium fidei nuptias inivit, ut cum communi Doctorum tenuit Benedictus XIV tunc temporis Secretarius S. Congregationis Concilii in *Causa Florentina die 17 Januarii* 1722; - (c) has vero interpellationes fieri debere quoad eos qui convertuntur a secta permittente polygamiam primae tantum uxori, quae sit vera uxor, non vero subsequentibus uxoribus, quae post abolitam a Christo polygamiae permissionem neque sunt verae uxores quoad infideles. Consulto tamen diximus: « si prima sit vera uxor », namque ejus conjugio obstare potest vel jus naturale, vel jus positivum divinum puta si sit mariti soror, vel si fuerit ab alio repudiata, et tunc secunda erit vera uxor. - (d) Has interpellationes debere esse duas, prima, si infidelis velit ad fidem converti, altera si saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris. Etenim

responsio negativa ad utramque interpellationem constituit illud dispendium, quod avertere satagit privilegium fidei relatum. Idque magis explicitè constat ex responsione S. Congregationis de Propaganda Fide jam citata, dum ad secundum dubium respondit: « Interpellandum esse conjugem infidelem non solum si converti velit, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum conjuge fidei cohabitare sine contumelia Creatoris juxta dispositionem Innocentii III in *cap. 7 de divort.* » Et cohaerenter ad hoc Gregorius XVI, ut referunt *Analecta Juris Pontificii (onzième livraison)*, in radice revalidavit multa conjugia a conversis ad fidem inita, quae ob insufficientiam interpellationis factae conjugibus in infidelitate relictis irrita fuerant, prius scilicet dispensando cum dictis Neophytis ex justa causa ab onere reiterandi monitionem conjugibus infidelibus, et deinde matrimonium ab iisdem cum fidelibus inita in radice revalidando. Neque deferendum est difficultati propositae ex nonnullis Canonibus Concilii Toletani, in quibus proponitur unica interpellatio, nempe an conjux velit ad fidem converti, et posita responsione negativa statim dabatur licentia novas nuptias ineundi a converso. Namque hi canones fundabantur in probabili conjectura ab experientia probata, quod pars renuens conversionem promittens vero pacificam cohabitationem vellet illud, ut Verricellus ostendit *De Apostol. Mission. tit. XII*. Hodie tamen hac super re recursus ad

Sedem Apostolicam faciendus est, ut ex consequentibus patebit. - (e) Debere autem fieri istas interpellationes *judicialiter*, nec sufficere monitiones extrajudiciales tenuisse videtur Benedictus XIV *De Synod. Dioecesis. lib. 13 cap. 21 num. 4* et expresse Cardin. De Laurea *disp. 16 num. 202* suffragante praxi.

9.° Primum vero matrimonium in infidelitate contractum nec statim post baptismum susceptum, nec post adimpletas interpellationes et habitum negativum responsum; sed in ipsa conciliatione alterius conjugii dissolvitur, prout clare edicitur in cit. responsione Supremae Inquisitionis *diei 1 Augusti 1759* ad quintum dubium, quod sic expressum est: « Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti; sed tunc acquirit tantummodo jus transeundi ad alias nuptias cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. » Ex quo eruitur quid in diversis casibus sit tenendum; nam post peractas interpellationes et responsum negativum receptum, si deinde mutata voluntate conjux infidelis fuerit conversus; tunc vel primo conversus: - (α) jam ad secunda vota nuptialia transivit, et tunc resoluta primo conjugio pars sero ad fidem adveniens cum alia fideli valet matrimo-

nium contrahere, ex utraque enim parte solutum est vinculum; vel - (β) primo conversus sacros ordines suscepit, aut vota solemniter edidit in religione approbata, et tunc, quia matrimonii consummati vinculum non dissolvitur per solemnem professionem aut per susceptionem ordinis sacri, altera pars dein conversa nequit aliud copulare conjugium: sed nec prior conjux tenetur vel potest ad ipsam redire, quia impleta interpellatione et accepto negativo responso usus est jure suo eligens statum monachalem seu sacerdotalem: vel - (γ) primo conversus adhuc manet liber, et tunc sero conversus ad primam redire tenetur; si tamen prima alterum velit recipere, et non potius manere in coelibatu elegerit, quod potest ex habito negativo responso ad interpellationes: at in hoc ultimo casu neuter valet alterum exinde matrimonium contrahere. Hinc disputatio fuit inter Doctores: an Pontifex extra casum Paulini privilegii dispensare valeat super conjugio in infidelitate inito, quando una pars ad fidem convertitur? Et ab omnibus admissum, quod id praestare Pontifex queat, dum agitur de matrimonio non consummato, assumpto argumento *a majori ad minus* ex matrimonio non consummato christianorum, antiquitus magnis animis certabatur relate ad matrimonium infidelium consummatum. Qui enim negativam sententiam tuebantur, eam sequentibus argumentis confirmabant, nempe matrimonium in infidelitate contractum cum consummatum est, retinendum esse indissolubile

ex jure positivo divino primigenio a Christo instaurato; proinde non esse admittendum alium casum dissolutionis, nisi nobis constet de hac divina venia. At hanc veniam non habemus, nisi in privilegio Paulino, et praesens casus esset in hypothesi quod non posset privilegium Paulinum applicari. Quid quod ipsi Romani Pontifices numquam sibi hanc auctoritatem asseruerunt? Unum proinde pro altera sententia esset argumentum petitum ex Brevi Pii V, cujus initium *Romani Pontificis dato die 2 Augusti 1571*; et ex altero Brevi Gregorii XIII « *Quoniam saepe contingit* » ex quibus argueretur dictos Pontifices dispensasse in matrimonio consummato contracto in infidelitate extra casum privilegii Paulini. Atqui tamen etsi haec duo exempla anteactis temporibus a pluribus Auctoribus sic explicarentur, non defuerunt, qui ea exempla exponerent de dispensatione ab interpellatione praemittenda a fidei ad conjugem infidelem, minime vero de ipsa dissolutione vinculi matrimonialis, inter quos postremos jure memoramus Benedictum XIV *De Synod. Dioecesis. lib. 6 cap. 6 num. 3 et lib. 13 cap. 21 per totum*. Et jure quidem cum id satis aperte pateat ex ipso Brevi Pii V, ubi leguntur haec verba: « maxime quia difficillimum foret primum conjugem invenire. » Idemque ex altero Gregorii XIII, in quo inter caetera haec habentur: « Dummodo constet etiam summario et extrajudicialiter conjugem absentem moneri legitime non posse, aut maritum

intra tempus eidem monitioni praefixum suam voluntatem non significasse. » Quae omnia ostendunt ibi agi de dispensatione ab interpellatione, proinde de casu privilegii Paulini. Erimus proinde valde discreti et temperantes, si hanc quaestionem concludemus verbis Benedicti XIV in Discursu cum munus Secretarii S. Congregationis Concilii in Causa Florentina ageret in quo *num. 16* ait: « At » cum doctrina Sanchez et Navarri consilium im- » pugnetur a Pontio *de matrim. lib. 9 cap. 2*, cui » adhaeret Perez *de matrim. disput. 20 sect. 10* » *per totum*, nec adsint, quod sciam exempla con- » similis dispensationis, quidquid sit de pontificia » auctoritate, quam sarctam tectam in omnibus » esse debere sentio, ejus exercitium absque dubio » esset in casu periculosum. » Cui consilio cessit S. Congregatio Concilii, quemadmodum a tali actu abstinuit Sixtus V, prout refertur ab eodem Benedicto XIV *Quaest. canon. 546 num. 29*.

10.º Non est infrequens casus, in quo vel impossibilis vel maximae difficultatis est interpellatio, quae debet praemitti ad hoc ut conjux ad fidem conversus habeat jus novas nuptias ineundi adhuc prima conjuge vivente. Tunc necessario recursus faciendus est Summo Pontifici, qui utpote juris divini authenticus interpret et juris ecclesiastici supremus moderator declarare potest in iis adjunctis jus divinum non obligare ad praemittendas interpellationes, et in jure ecclesiastico dispensare quoad formam juridicam earumdem in-

terpellationum. Aliquando autem ex causa Pontifex dispensat in totum ab interpellationibus, et aliquando dispensat a rigore interpellationis, ut puta coarctat, ut tantum quaeratur a conjuge infideli an velit fieri christiana, et non aliter. Causae vero propter quas id Pontifex concedat nos non valemus omnes assignare, et tantum eas referimus, ad quas respexerunt Pontifices usque adhuc in suis indultis. Eae autem sunt sequentes: - 1° quia conjux infidelis degit in hostilibus et barbaris provinciis, ubi ne nuntiis quidem accessus patet; - 2° vel quia ignoratur in quas regiones infidelis conjux degat; - 3° vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem; - 4° vel quod timeatur, ne molestia aut persecutio contra christianos oria- tur, si interpellatio fiat; - 5° aut quia conversus non recordetur quam primum uxorem duxerit ex pluribus, quas in gentilitate habuit sequens morem detestabilis polygamiae in sua patria vigentis, - 6° aut demum, quia serio dubitatur an conversus in sua patria verum matrimonium contraxerit cum priori aut altera ex pluribus ductis uxoribus vel potius omnes retinuerit tamquam contubernales. - Pro tribus primis causis data sunt Indulta Pii V, quod incipit « Romani Pontificis » et Gregorii XIII, quod incipit « Quoniam saepe contingit. » Quae tamen indulta, ut habet Benedictus XIV in *Synod. Dioec. lib. 13 cap. 21 num. 6*: « certas quasdam regiones tantummodo respiciunt, neque extendi ad alias possunt, quantumvis rationis et circumstan-

tiarum paritas aut identitas id suadere videatur; » et quando S. Sedes voluit ut ea extenderentur ad Missiones Sinici Imperii id expresse declaravit, prout constat ex Synodo Sutchuensi prout quoque factum est in indulto Benedicti XIV *diei 10 Januarii 1745* Apostolico Nuntio Venetianum « In suprema. » De quarta causa loquitur Responsum datum a S. Congregatione S. Officii anno 1769 ad Vicarium Apostolicum imperii Sinensis, ut nempe consulatur S. Sedes, quae pro hac causa ab interpellationibus dispensabit. Quintum casum contemplata est constitutio Pauli III « *Altitudo* » *diei 1 Junii 1537*. Ad sextum casum demum respexit Responsum S. Universalis Inquisitionis *diei 8 Jun. 1836* approbatum a Gregorio XVI ad dubium propositum ab Episcopo Quebecensi in America Septentrionali. In quibus casibus dispensatur a Summo Pontifice ab interpellationibus, et tunc, prout ait *loco cit. de Syn. Benedictus XIV*: « si » conversus nubat, secundum hoc matrimonium » ita validum et firmum est, ut et ipse ad priorem » conjugem amplius reverti nequeat, et primus » conjux jus illud omne perdiderit, quod in con- » trahendo priore matrimonio acquisierat. Primum » enim matrimonium eo ipso momento, et quidem » irrevocabiliter solutum manet, quo conjux con- » versus ad alias nuptias cum fidei transivit; sive » quia in hanc libertatem vindicatus fuerit jure » divino, propterea quod infidelis conjux judicia- » liter interpellatus evangelicae veritati, aut inno-

» cuae cohabitationi se denegaverit; sive quia pe-
 » culiares rerum circumstantiae viam aperuerunt
 » indulto apostolico, quo sublata fuit interpellandi
 » necessitas; quod quidem indultum cum nulli con-
 » ditioni sit alligatum, secundi matrimonii validi-
 » tatem et firmitatem perpetuo asserit, et reditum
 » intercludit ad prima connubia, etiamsi quis pro-
 » bare contenderet, primo conjugii interpellato non
 » fuisse liberum respondere, vel eum jam tunc chri-
 » stianae religioni amplectendae paratum fuisse,
 » imo ante illam diem, qua secundum matrimo-
 » nium a conjugue converso celebratum fuit, ipsum
 » quoque Christo nomen dedisse, et baptismum
 » suscepisse. » - Aliquando Sedes Apostolica di-
 » pensat a rigore interpellationis, ut puta non exigat
 » ut duae fiant interpellationes, sed tantum una,
 » nempe si prima mulier velit fieri christiana, prout
 » inter facultates, quae Episcopis et Vicariis Apo-
 » stolicis Asiae, Africae et Americae, nec non prae-
 » fectis Missionum in iisdem partibus tribuuntur a
 » Propaganda, legimus quoque sequentem: « Dispen-
 » sandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores
 » habentibus, ut post conversionem et baptismum,
 » quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat,
 » retinere possint, *nisi prima voluerit converti.* »
 » Una ergo sufficit interrogatio: an velit fieri chri-
 » stiana. Circa quam facultatem optime notat *loc.*
 » *cit.* Benedictus XIV: « in ea formula nullam fieri
 » mentionem de facultate dispensandi super juri-
 » dica illa et formali interpellatione, quae primo

» conjugii fieri debet, ut mentem suam de Christi
 » fide amplectenda declaret, et subrogandi in illius
 » locum aut extrajudiciales notitias, aut alias cir-
 » cumstantias et argumenta, quae suadeant impro-
 » babile omnino esse primum conjugem ad chri-
 » stianam religionem converti velle; id quod ex-
 » presse concessum legitur in duabus illis aposto-
 » licis constitutionibus Pii V et Gregorii XIII. »

11.° Ut omnia sub hac materia relata com-
 » prehendamus, superest ut alias tres quaestiones
 » resolvamus: - (a) an fidelis, qui ex dispensatione
 » apostolica dispensato impedimento disparitatis cul-
 » tus matrimonium contraxit cum infideli possit ad
 » alias nuptias transire utendo divina dispensatione
 » si infidelis discedat, vel pacifice cohabitare nolit,
 » sed tantum cum contumelia Creatoris vel ut fidelem
 » pertrahat ad peccatum? Sed respondendum est ne-
 » gative, cum tantum solvi possit quoad thorum et
 » cohabitationem non vero quoad vinculum. Id pro-
 » batur ex decisione S. Congregationis Inquisitionis
 » *die 1 Augusti 1753* his verbis: « Si fidelis praevia
 » dispensatione contraxit matrimonium cum infi-
 » deli, censetur illud contraxisse cum explicita con-
 » ditione, dummodo nimirum infidelis secum coha-
 » bitare velit absque contumelia Creatoris. Quare
 » si infidelis non servet praedictam conditionem,
 » adhibenda sunt juris remedia ad hoc, ut eam
 » servet, alias separari debent quoad thorum et
 » cohabitationem, non tamen quoad vinculum;
 » quocirca in casu, de quo agitur, conjugue infi-

» deli superstitie non potest fidelis ad alia vota transire. » - (b) Si conversus mediante dispensatione super cultus disparitate iterato consensu retinuerit unam ex illis, quas praeter primam uxoris appellatione duxerat in infidelitate ob polygamiam in sua secta vigentem, et ea lapsu temporis discesserit, an ex privilegio fidei possit ad alia vota transire eâ adhuc vivente? Et pariter negative respondetur tum ob allatam rationem in dubio praecedenti, cum praesens casus ab illo non differat; et deinde ex eo quod simili dubio a Vicario Apostolico Siam proposito S. Congregatio S. Officii anno 1854 respondit per Instructionem ex Synodo Sutchuensi *cap. 9 § 7* ubi adnotatur post dispensationem ab impedimento disparitatis cultus non posse amplius ullo in casu matrimonium solvi quoad vinculum, sed solum quoad thorum, quia factum est indissolubile in favorem fidei et partis fidelis. - (c) Demum quaeritur: an privilegium fidei iis quoque prosit, qui ab infidelitate convertuntur ad aliquam sectam christianam non ad catholicam Ecclesiam recepto tamen in sua secta valido baptismo, ut interpellato legitime conjuge et responsis negativis habitis possint aliud contrahere matrimonium? Antiqui Interpretes hac in re oppositas abierunt sententias. Alii enim verba *fidelis, frater* et *soror* intelligebant de baptizatis in genere, et ipse Augustinus applicare visus est privilegium Paulinum etiam ad Donatistas *De Sermon. Domini in monte cap. 22 num. 75*, aliis Doctoribus e contra

opinantibus hoc privilegium non competere nisi eis, qui ex infidelitate ad sacra catholica convertuntur, cum qui extra veram Ecclesiam est nec mereatur nomen *fidelis, fratris, vel sororis*, sed potius habeatur ut transfuga et sit infideli deterior. Consulta a me cum humiliter fuerit S. Congregatio Universalis Inquisitionis respondere dignata est se hanc casum expendisse, sed post serias inquisitiones nihil decisum fuisse, et proinde esse liberum unam vel alteram sententiam amplecti. Et revera gravia sunt pro utraque argumenta, et praesertim maximi faciendum est quod Apostoli eorumque doctrinam retinentes apostolici viri non consideraverint haereticos ut fratres, sed potius ut pervicacissimos hostes. Illud autem tenendum est, quod etiamsi teneatur sententia affirmativa, rarissime applicetur haereticis hoc privilegium; nam si est casus consequendi dispensationem apostolicam ab onere interpellationis, ea namquam haereticis conceditur a Pontifice.

12.º Matrimonium christianorum ratum et non consummatum quamvis de se sit stabile, neque a partibus ullo modo directe resolvi possit, tamen non ita est indissolubile ut in nullo casu valeat irritari. Casus unus est notatus in jure, nempe per solemnem religionis professionem alterius conjugum, quo dirimitur, de quo habetur *can. VI sess. 24 Conc. Trid. De sacram. matrim.*: « Si quis dixerit matrimonia ratum non consummatum per solemnem religionis professionem al-

terius conjugum non dirimi anathema sit. » In qua re cum omnes catholici convenire debeant, non tamen inter Doctores pacificum est quo id jure statutum sit, aliis nempe contendentibus id factum esse *jure divino*, aliis è contra *jure ecclesiastico*. Cum nos hanc alteram sententiam probaverimus alibi, hic tantum difficultati reponemus desumptae ex citato canone; nempe quod cum haec doctrina sit objectum seu materia canonis dogmatici, profecto debet esse divini juris non autem ecclesiastici. At respondendum est in eo canone non venire sub definitione simpliciter doctrinam de solemni professione religionis dirimentem matrimonium, sed venire auctoritatem Ecclesiae tributam id praestandi, unde hic canon est dogmaticus quia attingit potestatem Ecclesiae divinitus concessam, prout sunt plures Canones praesertim *sess. 23 et 24*; qui si hoc modo non intelligantur in inextricabiles quaestiones incidemus. - Praeter hunc casum in jure notatum hodie ab omnibus Doctoribus communiter admittitur Romanos Pontifices gravibus de causis sibi bene visis ex plenitudine potestatis posse dirimere matrimonium christianorum ratum sed non consummatum, prout et rationes ex antecedentibus desumptae plene probant, et exempla, quae nostris temporibus rara non sunt, quaeque faciunt jus ut apud Schmalzgrueber *h. t. n. 46*. - Matrimonium demum christianorum si est ratum et consummatum, si vere validum fuit non nisi morte alterutrius solvitur, neque est potestas in terris, quae

illud dirimere valeat, de quo praecise dictum est: « quod Deus conjunxit, homo non separet », neque ipsi Summi Pontifices umquam asseruerunt hanc sibi potestatem a Christo tributam fuisse, imo contrarium semper tenuerunt. Et *canones V et VII Conc. Trid. sess. 24 de sacram. matrim.* hanc receptam a Christo doctrinam palam exhibent. Quo *canone V* fuit confirmata responsio data ab Innocentio III *cap. 7 h. t.* ubi et ipse definivit, non posse applicari privilegium fidei matrimonio a fidelibus contracto et consummato, si deinde alteruter in haeresim vel apostasiam lapsus esset, nec vellet cum altera parte pacifice cohabitare. Etsi enim in hoc casu dispendium partis catholicae idem esset ac in altero, et malitia alterius partis potior; tamen quia matrimonium christianorum est non modo *verum* sed *ratum*, hinc majorem firmitatem habet, ac proinde non dissolvitur quoad vinculum per quamcumque causam, et habet omnimodam indissolubilitatem. Atque non semel iidem Romani Pontifices pro indissolubilitate matrimonii rati et consummati christianorum pugnarunt etiam contra potentes saeculi, prout historiae ecclesiasticae monumenta ostendunt; et clarissima documenta ab ipsis edita testantur. Unde supinae ignorantiae vel effrontis malitiae rei arguuntur moderni instauratores divortii, cum in publicis Comitibus Statuum affirmare non erubuerunt, Romanos Pontifices suis sententiis in causis matrimonialibus stetisse pro

divortio! Dare sententiam pro divortio est resolvere vinculum existens, cum tribunalia ecclesiastica sententias dederint pro declaratione vinculi numquam contracti, ex eo quod matrimonii validitati oberat impedimentum dirimens. Id tamen non impedit, quominus ad fucum imperitis faciendum istae sententiae *de nullitate* matrimonii ab istis vocentur sententiae *de divortio*.

13.^o Longe alia res est, si loquamur de divortio quoad thorum et cohabitationem. Nam hoc esse potest vel *voluntarium*, si utraque pars in illud conveniat, vel *coactum* prout uno instante alteri parti etsi invitae imponitur. Utrumque autem est vel *perpetuum* vel *temporaneum*. Porro propria utriusque auctoritate divertere licet, sive ut vacent ad tempus orationi prout B. Paulus innuit, sive ut votum solemne in susceptione sacrorum ordinum aut professione religiosa ab uno conjugum altero consentiente edatur, prout dictum est *Titulo XXXII Lib. III*. Quod pertinet vero ad divortium coactum, sciendum est hoc induci posse pluribus de causis, et perpetuum vel temporaneum. Divortium perpetuum inducitur ex causa adulterii, ex quo crimine conjux innocens habet justam causam divertendi a conjuge adultero, et se a thoro et cohabitatione illius separare. Hoc jus ex sententia omnium catholicorum recognitum dicitur esse ex divina permissione Matth. *cap. 5 v. 32* et *cap. 19 v. 9*. Quod competit parti inno-

centi, si adulterium commissum sit ex *can. « Dixit Dominus » caus. 32 quaest. 1* et hoc fuerit criminorum cum si culpa vacet non noceat *can. 3 caus. 32 quaest. 5* dummodo altera pars eam adulterandam non tradiderit *cap. 6 de eo qui cognovit*; et dummodo alia etiam pars se eodem crimine non foedaverit *cap. 4 h. t.* Hoc vero crimen dat potestatem *perpetuo* divortio ex *cap. 4, 5 et 8 h. t.*, et nocet sive viro sive foeminae. Quando autem dicimus adesse ex parte innocentis potestatem a beundi vel divertendi, ex hoc etiam includimus, quod valeat injuriam remittere; quemadmodum eandem valet quoque progressu temporis condonare, et tunc non licet amplius ex ea culpa suo jure uti, quia injuria dimissa est. Unde est quod pars innocens potest impune discedere, vel ad sacros ordines ascendere aut professionem solemnem edere irrequisita alia parte; quod alteri non licet, nisi parte innocente requisita. Neque illam emendatam tenetur de rigore juris recipere, quia dedit causam adulterium divortio perpetuo. An autem parti innocenti liceat a criminosa recedere propria auctoritate, vel sit necessarium quod praecedat judicium Ecclesiae controvertitur; et rationabilior sententia distinguit inter casum adulterii notorii, et occulti. Si adulterium est notorium, divertere licet etiam auctoritate privata, cum ex dictis liceat divertere ab adultero ex divina permissione, et in notoriis non sit necessaria judicis

ecclesiastici declaratio, neque hic recessus factus propria auctoritate umquam a canonibus reprehendatur, imo ratus habeatur a iudice ecclesiastico ex *cap. 4 h. t.* At si adulterium est occultum, et a fortiori si non habeantur sufficientes de eo probationes aut certa notitia, non permittitur divortium, nisi postquam advenerit iudicis ecclesiastici sententia. - Alia causa separationis est lapsus unius in haeresim vel apostasiam aut schisma ex *cap. 7 h. t.*, aequiparatur enim haec adulterio, et vocatur adulterium spirituale. Verum talis aequiparatio in totum urgenda non est; nam lapsus una parte in haeresim, alia valet ad religionem converti eamque profiteri, etiamsi non praecesserit sententia iudicis ecclesiastici ex *cap. fin. de convers. conjugat.*, atque in hoc casu conjux emendatus atque ad Ecclesiae unitatem rediens nequit amplius revocare conjugem religiosum. At si conjux in fide manens ad religionem conversus non sit, tunc vel separatio facta est iudicio Ecclesiae aut privata auctoritate; in primo enim casu non tenetur reintegrare individuam vitae consuetudinem cum emendato, tenetur autem si propria auctoritate discesserit ex *cap. 7 h. t.* - Propter periculum animae etiam ex proprio arbitrio licet divortium facere temporaneum, scilicet usque dum talis causa perdurat ex *can. 5 caus. 28 quaest. 1*, sicut et propter saevitiam unius licet quoque in incontinenti discedere ex *cap. 13 de restit. spoliat.*

nec altera pars petens reintegrationem cohabitationis auditur cum effectu nisi det cautionem ex *cap. 8 dicti tit.*, quae causa valet etiamsi saevitia procedat ex parte mulieris, ut habetur *cap. 1 h. t.* De causa aegritudinis dictum jam est in *Tit. VIII hujus Libri.*

putamus autem nobis esse insistendum in his exponendis, quia ad cessandam quamcumque emulationem Ecclesia in suo Tribunali tales causas non assolet pertractare, sed decidendas relinquit iudicibus civilibus.

TITULUS XX.

*De donationibus inter virum et uxorem,
et de dote post divortium restituenda.*

Titulus hic quoad utramque partem non continet nisi dispositiones mere civiles desumptas ex jure Romanorum, quas etiam in suo Tribunali Ecclesia servandas esse proposuit, si quando ex connexionione causarum eadem quaestiones in foro ecclesiastico determinandae intervenirent. Istaе porro sanctiones in diversis Codicibus Civilibus, qui juri communi Romanorum successerunt fere eadem permanserunt praesertim circa donationes inter virum et uxorem et circa dotem post divortium restituendam. At si progressu temporis aliqua in iis inducatur variatio, Ecclesia non insistet in servando jure Romanorum, easque modificationes dummodo justitiae convenient laeta suscipiet. Non

TITULUS XXI.

De Secundis Nuptiis.

1.° Ecclesia secundas et posteriores nuptias esse de se honestas et licitas contra Montanistas non semel asseruit, et proinde christianis permissas retinuit, utens B. Apostoli Pauli textu *Ep. I ad Corinth. cap. 7 v. 39*: « Mulier alligata est legi » quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit » vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum » in Domino. » Easdemque nuptias non minus ac primas esse verum sacramentum asseruit ex accepta doctrina, quod inter christianos non sint contractus nuptiales, nisi simul sint sacramenta. Facendum tamen est Ecclesiam habere has secundas et posteriores nuptias non sic honorabiles ut primas, atque id ostenditur ex eo quod antiquitus pro celebratis his secundis nuptiis imponebantur poeni-

tentiae, de quibus loquitur *can. 8 caus. 31 quaest. 1*, quas poenitentias teste Giraldi *op. cit. p. 1 sect. 741* sustulit consuetudo. Id quoque ostenditur ex hoc, quod tales nuptiae non benedicantur, prout ex Rituali Romano in *Rubricis de Sacram. Matrim.*, ubi edicitur quod si in aliquo loco vigeat consuetudo benedicendi has secundas nuptias quando mulier primo nubit etsi vir sit viduus, potest haec servari; non poterit autem servari si mulier secundo nubat, etiamsi vir prima vice matrimonium contrahat, cum in hoc casu abstinendum omnino sit a benedictione. Rationes hujus minoris honorabilitatis sunt, quod in secundis et ulterioribus nuptiis interveniat causa potius vitandae incontinentiae, quam studium habendae prolis et mutui adjutorii; et deinde quod in secundis et ulterioribus nuptiis habeatur *defectus in sacramento* propter *carnis divisionem* in plures quam duo sint; quemadmodum expositum est in *Tit. XX Libri Primi*; unde non in totum seu in integralibus non respondent unioni Christi cum Ecclesia.

2.° Jus Romanorum, prout ex *Leg. 1 et 2 Digest. De iis qui notantur infamia* et *Leg. 1 et 2 Codic. de secundis Nuptiis*, non permittebat mulieribus secundas nuptias intra annum luctus contrahere inflictâ quoque infamiae nota tum in ipsam mulierem, quam in maritum, qui eam ducebat, ac in patrem, qui illam nuptui collocabat, nec non in patrem mariti, cum posset filium prohibere. Nec talis vetiti erant contemnendae rationes,

ut advertit Giraldi *loc. cit.* Praecipuae enim duae erant, ut scilicet evitaretur sanguinis turbatio, ac ne frequenter incertum fieret quis natae prolis pater esset an primus, an secundus maritus; secundo vero, quia si mox a morte mariti alteri nuberet vidua, non levem suspicionem ingereret perpetrati adulterii viro adhuc vivente, vel saltem jam pridem cogitasse de secundis nuptiis, cui nubere festinabat. Haec tamen infamiae nota per leges ecclesiasticas abolita est, prout dicitur in *cap. 4 et 5 h. t.*, cum secundum Apostolum mulier mortuo viro suo ab ejus sit lege soluta, et nubendi cui vult, tantum in Domino, liberam habeat facultatem, proinde non debeat infamiae legalis sustinere jacturam. Codices Civiles moderni, ut *Codice Civile del Regno d' Italia art. 57*, de hac poena infamiae non loquuntur, neque de anno luctus, sicut nec de ratione publicae honestatis, sed vetant has nuptias primis decem mensibus a die soluti vel iriti habiti primi matrimonii, ita ut cesset impedimentum a die, quo mulier pepererit; quod importat id factum esse tantum ad tollendam incertitudinem successionis. Et in hoc nihil aliud reprehendit Ecclesia, nisi *excessum sanctionis*, sibi enim arrogat jus civile potestatem ponendi impedimentum matrimonii dirimens, quam non habet, cum aliis modis posset certitudini successionum prospicere; et alia sanctione haec inconvenientia vitare.

3.° Ad secundas autem nuptias non permit-

titur quis transire, nisi certus sit de primi conjugii resolutione, est enim primum conjugium ad alias nuptias ineundas impedimentum juris divini positivi, atque proinde eo non resoluto fas non est alias nuptias conciliare, quod parti certo constet *cap. 2 h. t.* - Si ergo altera pars de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, et tamen ad alias nuptias migrare praesumpserit, tunc ei quae sibi nupsit (si ea est in bona fide) debitum non denegat postulanti, quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Si vero deinde de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem reverti tenetur. Quod si hoc dubium enascatur postquam in bona fide initum sit connubium, idem servandum erit, ut alteri parti in bona fide manenti non denegetur debitum, sed a dubitante non petatur, et interim haec tenetur omnem diligentiam adhibere, ut veritatem dignoscat, dubiumque deponat. Ex quo pariter intelligitur quod si utraque pars in dubio sit, nec petitioni nec redditioni debiti est locus.

4.° Cum autem Doctores discrepent in statuendo qualis debeat esse certitudo de morte prioris conjugis antequam superstes transeat ad secunda vota, relictis privatis eorundem Doctorum opinionibus, tenemus cum Giraldi *op. et part. cit. sect. 656* habendam esse pro certa regula praxim Tribunalis S. Inquisitionis, a quo hujusmodi transitus nunquam permittitur, nisi constet de morte conjugis vel per autenticum testimonium seu fidem, puta

praefecti nosocomii vel alterius loci, in quo forte decesserit, sive Rectoris Ecclesiae, in qua sepultus fuerit; sive etiam per testimonium Ducis illius cohortis, in qua descriptus erat miles; vel etiam per juratum testimonium duorum testium deponentium de visu obitus, aut etiam unius tantum, omni tamen exceptione majoris. Advertendum tamen est, quod praelaudata S. Congregatio monet in Instructione edita *die 21 Augusti 1670* a Clemente X confirmata, nempe quod si haec testimonia deficiant, ea non intendit excludere alias probationes quae de jure communi possunt admitti dummodo sint legitimae et sufficientes, ut de fama conjuncta cum aliis adminiculis probat Schmalzgrueber *num. 18 h. t.* - A Doctoribus quoque disputatur: « An viduis quoque, quae legalem probationem de obitu conjugis exhibere nequeunt, deferri possit juramentum suppletorium? » Et Reifensuel *h. t. num. 21* putat in aliquo casu in quo habeatur publica fama aliaeque praesumptiones tunc posse viduam ad suam assertionem, de morte conjugis, quam ipsa certo scit, probandam admitti ad exhibendum juramentum, quod in casu dicitur suppletorium, prout ex Indulto S. Sedis habent Episcopi quando non potest aliunde plene constare de statu libero nupturiensium.

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

INDEX

LIBER IV.

DECRETALIUM GREGORII IX.

		PAG.
TITULUS I.	De sponsalibus et matrimoniis	5
" II.	De desponsatione impuberum	76
" III.	De clandestina desponsatione	85
" IV.	De sponsa duorum	112
" V.	De conditionibus apposis in desponsatione et in aliis contractibus	140
" VI.	Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt	158
" VII.	De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium	180
" VIII.	De conjugio leprosororum	191
" IX.	De conjugio servorum	199
" X.	De natis ex libero ventre	202
" XI.	De cognatione spiritali	203
" XII.	De cognatione legali	217
" XIII.	De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae	225
" XIV.	De consanguinitate et affinitate	233
" XV.	De frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi	252
" XVI.	De matrimonio contracto contra interdictam Ecclesiae	265
" XVII.	Qui filii sint legitimi	270
" XVIII.	Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari	276
" XIX.	De divortiis	282
" XX.	De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda	342
" XXI.	De secundis nuptiis	344

Appendix De Dispensationibus Matrimonialibus satis copiosa dabitur in sequenti volumine.

IMPRIMATUR

P. Fr. Vincentius M. Gatti O. P. S. P. A.
Magister.

—

IMPRIMATUR

Julius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

REV15

ÚK PrF MU



3129S33487